This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

1292

Per. 26022 d. 33/1837-8

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES

ACADEMICI.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

HAGAE-COMITIS,
EX TYPOGRAPHIA REGIA.
1840.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Digitized by Google

INDEX

EORUM, QUAE HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

PAG.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 3.

Oratio Rectoris Magnifici P. J. UYLENBROEK, *cum additamento.* . . 5.

Oratio inauguralis Professoris A. RUTGERS, ... 49.

Series Lectionum. . . . . . 75.

Series Dissertationum inauguralium. . . . . . 82.

Numerus adolescentium studiosorum. . . . . . 89.

Programma Certaminis literarii. . . . . . 90.

ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 95.

Oratio Rectoris Magnifici L. G. VISSCHER. . . . . 97.

Series Lectionum. . . . . . 137.

Series Dissertationum inauguralium. . . . . . 145.

Numerus adolescentium studiosorum. . . . . . 150.

ACADEMIA GRONINGANA.

Nomina Professorum. . . . . . 153.

Oratio Rectoris Magnifici P. HOFSTEDE DE GROOT. . . . . 155.

Series Lectionum. . . . . . 179.

Series Dissertationum inauguralium . . . . . 185.

Numerus adolescentium studiosorum. . . . . . 190.

Iudicia de Commentationibus ad quaestiones propositas. . . . . . 191.

Digitized by Google

INDEX.

ATHENAEUM FRANEQUERANUM.

PAG.

Nomina Professorum. . . . . . 197.

Oratio Rectoris Magnifici F. DE GREVE. . . . . 199.

Series Lectionum. . . . . . 247.

ATHENAEUM AMSTELAEDAMENSE.

Nomina Professorum. . . . . . 251.

Series Lectionum. . . . . . 253.

Acta et Gesta in Senatu. . . . . . 257.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

Nomina Professorum, caet. . . . . . 261.

Series Lectionum. . . . . . 263.

SEMINARIUM THEOLOGICUM AUGUSTINAE CONFESSIONIS AMSTELAEDAMENSE.

Series Lectionum. . . . . . 267.

Digitized by Google

ANNALES ACADEMICI

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

inde a d. VIII *Febr.* MDCCCXXXVII *ad d.* VIII *Febr.* MDCCCXXXVIII

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

PETRUS JOHANNES UYLENBROEK.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

NICOLAUS CHRISTIANUS KIST.

PROFESSORES IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

P. J. UYLENBROEK.
G. WTTEWAAL.
C. G. C. REINWARDT.
J. DE GELDER, ob aetatem septuagenariam rude donatus.
J. G. S. VAN BREDA.
J. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. H. VAN DER PALM, ob aetatem septuagenariam rude donatus.
M. SIEGENBEEK.
S. J. VAN DE WYNPERSSE, ob infirmam valetudinem rude donatus.

Digitized by Google

J. BAKE.
J. NIEUWENHUIS.
P. HOFMAN PEERLKAMP.
G. L. MAHNE.
J. M. SCHRANT.
H. E. WEYERS.
A. RUTGERS.

IN FACULTATE MEDICA.

G. SANDIFORT.
J. C. B. BERNARD, rei medico-militaris in regno Belgico inspector.
M. J. MACQUELYN.
J. C. BROERS.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.

IN FACULTATE JURIDICA.

H. G. TYDEMAN.
C. J. VAN ASSEN.
H. COCK.
J. R. THORBECKE.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

J. CLARISSE.
W. A. VAN HENGEL.
N. C. KIST.

LECTOR ASTRONOMIAE.

F. KAISER.

MAGISTER ACADEMICUS.

G. KNIPPENBERG.

Digitized by Google

PETRI JOHANNIS UYLENBROEK

ORATIO

DE

FRATRIBUS CHRISTIANO ATQUE CONSTANTINO HUGENIO, ARTIS DIOPTRICAE CULTORIBUS,

HABITA DIE VIII FEBRUARII MDCCCXXXVIII

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

Digitized by Google

Digitized by Google

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, QUIQUE HUIC COLLEGIO AB ACTIS ES, VIRI ILLUSTRISSIMI, SPECTATISSIMI!

QUI IN HAC REGIONE ET IN HAC URBE, VEL JURI TUENDO, VEL CIVIUM NEGOTIIS PUBLICIS PRAEËSTIS, QUIQUE HIS COLLEGIIS AB ACTIS ESTIS, MAGISTRATUS AMPLISSIMI, VIRI INTEGERRIMI!

PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGAE HONORATISSIMI!

ASTRONOMIAE LECTOR ERUDITISSIME!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM QUARUMVIS DOCTORES CONSULTISSIMI!

Digitized by Google

CIVES ACADEMICI, COMMILITONES CONJUNCTISSIMI, LAUDATISSIMI ADOLESCENTES, QUI AD DOCTRINAE ET SAPIENTIAE LAUDEM TENDITIS!

AUDITORES QUOCUNQUE ORDINE, LOCO, AUT MUNERE ORNATISSIMI!

Digitized by Google

Annus seculi XVII octavus in disciplinarum historia aureis signata est litteris, quippe re inventa clarus, qua nescio an umquam illustrior fuerit exhibita. Duae patriae nostrae urbes, singulari profecto casu, eodem fere istius anni tempore, intra sua moenia egregium illud nasci viderunt, natumque admiratae sunt, instrumentum, quo objecta longe distantia oculis nostris quasi admoventur. Medioburgum et Alcmaria, utraque eodem jure, cives suos, illa Joannem Lipperheyum, haec Jacobum Metium, telescopii auctorem salutant. Inventum tam insigne non diu in tenebris latuit; nam, quamvis Princeps Arausiacus Mauritius, Ordinesque Reipublicae Batavae illud premere sibique servare cuperent, vicit tamen nostrorum prudentiam Gallorum sive fortuna sive astutia. Quidquid sit, Jeanninus, celeberrimus Henrici IV regis Galliae apud Ordines tum temporis delegatus, curavit ut inventi et fama et indoles simul quam citissime ad Principem suum transferretur. Qua opportunitate rex illustrissimus hoc memorabile ministro suo responsum dedisse fertur: plurimum se delectatum iri instrumento quo longinqua posset discernere, malle tamen se habere perspicillum, quo distingueret quae ipsum proxime circumdarent.

E Gallia migravit inventi fama in Germaniam, Helvetiam, Italiam. Quo quum appulisset, cumque aures animumque perculisset summi in disciplinis viri, Galileo Galilei, hic, rei gravitate commotus ac praevidens innumera beneficia, quibus novus apparatus aliquando disciplinas, atque adeo universam humanitatem esset cumulaturus, rem mente pervolvit, ac, veluti fuisset divino numine afflatus, paucarum horarum studio, instrumentum composuit, haud multum ab iis diversum, quae omnium primi construxerant Batavi. Tanta autem celeritate rumor iste in Italiam pervenerat, tanta fuit illustrissimi Galilei per universam Europam fama, nostratium vero obscuritas tanta, ut per duo fere secula telescopii inventi honos cui cederet, incertum maneret. Tandem suum ipsi locum adsignavit vir exquisitae atque elegantis doctrinae, patriae laudis amantissimus at veritatis amantior, summus Swindenus. (1)

Digitized by Google

Quod Batavorum ingenium creaverat telescopium, rude illud et incomtum, qualia esse solent artificiorum humanorum primordia, illud prae aliis Batavi quoque perfecerunt. Laudent Itali Divinium suum atque Campanium, Galli Auzoutum atque Borellum, Angli Neilium, Revesium atque Coxium; nos Batavi Hartsoekero gloriamur nostro, et, qui primo dicendus fuisset loco, Christiano Hugenio. Quod illustre nomen cum pronuntio, non multis equidem verbis mihi opus esse confido, ut vobis persuadeam artem nobilissimam, quae tanti viri cura digna fuit, progressus fecisse et celeres et ingentes. Hugenius enim in eas imprimis incumbere solebat disquisitiones, quae ingenii mathematici vim postularent summam, fructus vero promitterent certos. Ecquae autem est disciplina dioptricâ subtilitatis aut utilitatis plenior? Hanc igitur Hugenius, quum primum animadvertisset tubos opticos virtutibus pollere egregiis, at vitiis simul laborare plurimis, perpetuum fecit studiorum suorum argumentum, in quo elaborando ita est versatus ut, quamdiu viveret, nemini secundus haberetur.

Illud autem fastigium dubito an umquam tetigisset, nisi laboris habuisset socium, ingenio, dexteritate, ardore ipsi simillimum; socium, qui debita eum veneratione suspiciebat, summa vero caritate eum amplectebatur. Dubito an umquam in dioptricis tot ac tanta praestitisset Hugenius, nisi laboris adjutorem habuisset fratrem carissimum Constantinum.

Quid duumviri hi praestantissimi, morum similitudine ejusdemque studii ardore juncti, fecerint ut dioptricam promoverent, pace vestrâ A. A. H. H. hac hora paucis exponam. Orationis argumentum selegi studiis meis, meisque viribus quodammodo congruum; nec vobis, ut spero, plane ingratum; nec ab hujus diei, quem celebramus, solemnitate prorsus alienum. Quid enim in ipso Academiae Lugduno-Batavae die natali gratius, quid acceptius esse potest, quam versari in meritissimis laudibus eorum, quos haec alma mater quondam gremio suo fovit atque aluit? ([2]) Utinam vero possem vobis ad vivum delineare fratres optimos! utinam possem eos tales vobis repraesentare, quales eos depictos reperi in egregio isto, quem sancte servamus, manuscriptorum thesauro, ([3]) orationis meae fonte uberrimo atque limpidissimo! Sed hoc virium mearum tenuitatis probe conscius ne tentare quidem aggrediar. Vos igitur A. A. H. H. ut me *de Fratribus Christiano atque Constantino Hugenio artis dioptricae cultoribus*, non ornate atque copiose dicentem, sed simpliciter narrantem benigne audiatis, etiam atque etiam rogo.

Digitized by Google

Dioptrices partes duae sunt, quarum altera theoriam, altera praxin spectat. Prior persequitur viam radiorum luminarium cum corpora permaneant pellucida, eo inprimis consilio, ut ratio pateat, qua lentes vitreas conficere atque disponere oportet, ut aucta, lucida atque distincta videamus objecta, quae oculorum aciem vel propter insignem distantiam vel propter nimiam parvitatem effugiunt. Haec disquisitio, ut egregia est, sic ingentibus laborat difficultatibus. Illud vero ipsi cum reliquis physices partibus commune est, quod, simulatque in singulari casu experti sumus constantem atque perpetuam naturae agendi normam, qui ingenio pollet mathematico, is supplere possit quod directae observationes nos, aut non, aut aegre docerent.

Christianus Hugenius vix erat e scholis in vitam publicam translatus, (4) cum in hanc dioptrices partem theoreticam, a Keplero, Cartesio, aliisque sed imperfecte cultam, incideret. Arridet ipsi rei gravitas (5) non minus quam pulchritudo et utilitas. Quae alios deterruissent caussae, hae ipsum incitant, maxime vero decessorum suorum conatus infelices. Quamvis juvenis admodum, vix 23 annos natus, difficillimas aggreditur quaestiones, et quo successu ipsum velim audiatis A. A. ad praeceptorem suum Cl. Schotenium referentem: (6) « Nunc autem, » sic inquit, « in dioptricis totus sum et nuperrime elegans inventum (7) obtigit, cujus ope telescopium multo quam cetera perfectius constructurum arbitror, si modo artificem reperire queam experiuntem. »

Quae verba quoties repeto, nescio profecto quid admirer magis, aut inventoris sagacitatem, aut inventus praestantiam, aut narratoris modestiam. His enim verbis, omni pompa, omni ornatu carentibus, universae dioptrices designatur fundamentum, quod non casus fortuitus, non felix experimentum detexerat, sed ingenii acumen penetraverat.

Theoriae commenta in physicis parum solent prodesse, nisi probentur experientia. In eo autem praxeos requiritur auxilium, quo deficiente, vel utilissimae theoriae manent steriles et infructuosae. Egregie igitur de disciplinis merentur, qui ita rem componere sciant, ut praxis theoriae inserviat, haec vero illam juvet. Audivimus A. A. Hugenium fovisse spem fore ut telescopia perficeret, si modo artificem reperiret experiuntem. Igitur jam tum querebatur vir summus de eo quod hodieque apud nos querelarum fons est perpetuus. « Periti nobis », sic Gutschovium Professorem Leodiensem alloquitur, « periti

Digitized by Google

nobis desunt artifices, neque multum iis confidere lubet, cum nunc jam unus, cui lentes duas faciendas locaveram, nescio quo avolaverit. »

In hac artificum inopia, cum quo se converteret aut ad quem confugeret ignoraret, nolite credere A. A. H. H. Hugenium animum despopondisse. Ita enim a natura factus erat, iis erat instructus dotibus, ut manuum dexteritate non minus quam ingenii perspicacitate excelleret.

Theoreticae de dioptrica disquisitiones ([8]) Christianum nostrum docent quae forma, quae magnitudo, qui positus requiratur lentium vitrearum, ut telescopium fiat quam maxime perfectum. Haec invenisse aliis fortasse suffecisset, non suffecit Hugenio. Nefas esse duxit theorias suas aliis explorandas committere, et, si probarentur, ingentem rerum novarum messem, quam melioribus instrumentis sibi comparandam promitteret, eam aliis cedere. Ipse ardui sui laboris, etiamsi ingratior esset exantlandus, pretium ferre voluit.

Operi igitur se accinxit artemque Telescopiopoei impense exercere coepit, non quo sibi victum quaereret aut lucrum, sed ut ostenderet quatenus egregium Batavorum instrumentum optimum posset perfici, artem, » uti ipse inquit, « quam sellulariam appelles licet, dum fatearis non leve adjumentum astronomiae scientiae praebere ipsam, ac proinde philosophiae universae. »

Laborem suscepit A. A. non vilem eum, aut levem, aut ab alio quovis perpetrandum, sed nobilem, sed gravem, sed qui Hugenium aliquem postulabat. Laborem suscepit, qui ingentem assiduitatem, innumeras cautelas, atque continuam tum animi tum corporis intentionem requirebat. Laborem denique cui ferendo vix unius hominis vires pares inveniantur.

Quo auxilio indigebat Christianus, ut, quod sperabat, obtineret, illud ipsi sponte obtulit frater ejus dilectissimus Constantinus, natu ipsi paulo major. Ea scilicet inter Hugenii Zuylichemii liberos vigebat caritas, quae saepius optata, imo ardentibus votis expetita, raro inter fratres occurrit; cujusque, si testimonium quaeritis A. A. melius aut praestantius vobis excitare non possum, quam egregium epistolarum commercium, quod inter fratres Hugenios intercessit, cum quo quemque sua fata trahebant diversi abiissent. Sunt istae litterae, quas fratres sibi scripserunt, veluti speculum, quod nobis eorum non imagines corporeas sed animi ingeniique indolem fideliter reprae-

Digitized by Google

sentat. Ita autem plenae sunt omnigenarum virtutum, ita refertae doctrinae atque elegantiae documentis, ut eas non dubitem pronuntiare monumentum quod fratres Hugenii, inscii, in suum honorem posuerunt, nulli alii monumento secundum.

Quo Christianus ardebat in disciplinas amore, eo omnes suos fratres imprimis vero Constantinum incendit: Constantinum quem quondam, cum Leidae commoraretur, studiorum mathematicorum socium habuerat. (9) Hic, simulac vidit quam telescopiorum fabricam instrueret Christianus, statim adjutorem se ipsi offerre, atque ita eum praesentem sublevare, absentis vero ejus res curare, ut dubius fere haereas uter eorum alterum labore, patientia, assiduitate vicerit.

Artificum inopia aut defectus fratres cogit omnes rei peritos adire, consilia rogare, artisque veluti rudimenta ediscere. Christianus doctos, quos habebat amicos, Gutschovium imprimis, litteris interpellat, (10) et humanissimis verbis ab illo petit ut, quam cognoscebat rationem facilem atque accuratam qua lentes vitreae expoliri possent, eam secum communicet. Cui petitioni cum ita satisfecisset Gutschovius, ut « paucis paginis multo plura de arte perspicillaria comprehenderet atque utiliora quam apud diversos auctores reperiretur, » manibus junctis laeti fratres arduam aggrediuntur operam, et duorum annorum indefesso labore eo rem perducunt, ut inter alia telescopia compluria, unum sibi paraverint 12 pedum longitudinis, « quo vix aliud praestantius reperiri » (11) sibi persuadebat Christianus.

Nec ipsum haec fefellit exspectatio. Nam cum, ineunte anno 1655, Hagae Comitum in domo paterna (12) telescopio hoc suo optimo mira (recito A. A. ipsius Hugenii verba (13)) diligentia, per hyemem, tertia saepe post mediam noctem hora, vigente gelu, uteretur, eum tulit assidui laboris fructum, ut 25° mensis Martii ejusdem anni Saturni, planetae remotissimi, lunam detegeret, mox hujus lunae motum definiret, denique ipsius Saturni singulares habitus ex annulo eum cingenti explicaret. Sic Te non vana spes decepit, illustrissime Hugeni! cum telescopia eleganti tuo inventu te perfecturum esse crederes. Tibi manus operi admoventi prospera cedunt omnia. Tibi interroganti arcana sua pandere gaudet Natura. Sic Tu, juvenum praestantissime! jam expleveras ardentissima Gassendii vota (14), qui moribundus tuarumque lucubrationum ignarus, amicis suis hoc imprimis injungeret officium, ut Galilaei

Digitized by Google

exemplum secuti, omnem ponerent sedulitatem in perquirendis et explicandis Saturni miris phaenomenis.

Hoc suo telescopio praestantius nullibi existere mox docuit apud exteros peregrinatio. Galliam enim hoc ipso anno petiit Christianus ([15]), ubi cum de sui tubi optici virtute exposuisset, omnium tulit doctorum applausum, ([16]) omniumque laudibus cumulatus decessit, sed, qui ipsi telescopium exhiberet suo aequiparandum, invenerat neminem ([17]).

In patriam redux, et egregio, quo usus fuerat, successu magis etiam accensus, cum Constantino nova molitur telescopia, haud minora quam quae primum illud atque egregium dupla vi vincerent.

Tam grandia ausa nova requirunt subsidia, novas creant curas. Vitrum sibi comparare pellucidum, crassum, a venis aliisque mendis purum; e metallo formas fingere debitas, quibus lentes terantur; tritis nitorem inducere, salva forma, summum; in haec aliaque iterum novo animi ardore illustre par fratrum incumbit.

Nisi omnia, at pleraque tamen, ipsis ex voto succedunt. Aegerrime sibi et tum comparant et deinceps acquisiverunt vitrorum frusta ([18]) lentibus objectivis ocularibusque conficiendis apta. Catina modosque, si opportunitas detur, aliis facienda committunt, ([19]) ipsi iis medelam allaturi, quibus justa forma deëesse inveniatur. In hac difficillimi laboris parte fratribus gratissimum atque exoptatissimum exstitit artificis Dordraceni auxilium Kalthovii. ([20]) quo peritiorem ([21]) in patria non reperiri arbitrabatur Constantinus, quemque si fata auferrent, de incoepto labore ipsis desperandum fore credebat. Nec alia fuit Christiani de praeclaro artifice sententia. « Magnam », sic eum litteris alloquitur, ([22]) « magnam tuam admirati sumus industriam, qua difficillima quaeque superare noveris. Si nostra diligentia tuam vel ex decima parte aequaret, profecto non decem dierum labore nobis opus fuisset, ut catino tuo ferreo formam conciliaremus debitam atque perfectam. Tandem vero nobis res successit. Nunc videndum an vitra valeant telescopia viginti pedes longa exhibere; quod si contingat, rei te certiorem reddere non negligam; scio enim, nec umquam obliviscar, me, si tuo destitutus fuissem auxilio, tanta audere non potuisse. »

Eventus rem non fefellit A. A. nam paullo post Christianum legimus Kalthovium monentem ([23]) « telescopia 24 pedum longitudine optimo successu

Digitized by Google

expolita lunae sideribusque admoveri.» «Ea», inquit,» in horto disposuimus, trochleisque in altum attollimus, quibuscum si priora illa 12 pedum conferantur, etiamsi pro longitudine sua sint eximia, plane vilescunt. « Equidem » sic ardore suo veluti abreptus pergit « equidem vel ad centenos pedes ea producere me posse existimo, mirabilesque eventus polliceri ausim. Verum tanta mole quomodo tractabilia reddi possint inventu difficile est. » Christianum nec vanum hîc profetam fuisse, nec difficultatibus facile cessisse, insequentium temporum docuit experientia.

De telescopii vi atque pretio judicium ferre aequum et justum haud leve negotium est. Crescit vero difficultas, si variorum instrumentorum virtutes aestimandae sint, nisi omnes simul eadem ratione explorentur. Tantum aberat ut fratres Hugenii tale suorum telescopiorum examen recusarent, ut nihil sibi exoptarent magis. Egregiam vero nacti sunt opportunitatem, cum Christianus annis 1660 — 1666 saepius peregre abiret, atque telescopii sui 20 pedum lentes aut secum ferret aut ad se transmitti curaret. Incidit enim haec peregrinatio in illud tempus, cum et Parisiis et Londini virorum doctorum statutis diebus haberi coepissent conventus isti celeberrimi, qui tum Academiae Regiae Scientiarum Parisiensis, tum Societatis Regiae Londinensis fuerunt primordia. Ecce Christianus noster in hos illustrium atque doctissimorum hominum conventus admittitur. Quam absens sibi apud exteros novissimis suis de Saturno observationibus comparaverat famam, hanc praesentis morum honestas atque elegantia confirmat, doctrina atque modestia augent. Inter varia, de quibus disseritur, philosophiae naturalis capita, de arte perspicillaria sermones esse multos, quis est qui dubitet? Quod caput simulac tangitur, quisque, ut fit, suum, quod aut ipse fabricaverat aut confici curaverat, telescopium describere, descriptique vim atque potestatem laudare. Ne controversiarum ansa detur, unus e reliquis proponere ut varia instrumenta eodem tempore locoque iisdem subtilissimis submittantur periculis. Placet propositum, et tempore statuto, in aperto, ad nobilissimum certamen conveniunt, quos docta Gallia artis perspicillariae habet peritissimos. Videre mihi videor Auzoutum, ([24]) Petitum, Espagnetum, aliosque viros illustres, quemque suo armatum telescopio. En Hugenium quoque nostrum! Apparatum affert modestum, reliquis mole inferiorem. Nisi Hugenius esset, vererer ne in certamine tam inaequali vincatur facile. Nunc nullus est metui locus. Quid enim multa? A. A. Convertuntur ad signum

Digitized by Google

distans omnia telescopia, sed quod magnitudine reliquis cesserat, id, omnium consensu, virtute superat reliquorum optimum.

Victoriam, quam Hugenius reportavit, si miremur A. A. caveamus precor ne casui eam aut fortunae, uti in aliis rebus fit, tribuamus. Novimus enim Christianum telescopiorum suorum virtutem non acceptam retulisse tentaminibus experimentisve felicibus, sed theoriae praeceptis, quae invenerat ipse, sed praxeos exercitiis, quibus, fratre juvante, tantopere vacaverat. Dici etiam vix potest quantum suo exemplo ardorem excitaverit apud omnes, qui dioptricam in deliciis habebant suis. Dici vix potest quam avide sibi expetierint methodum, certam illam, qua Hugenius remotissima coelorum spatia jam aperuerat, remotiora vero brevi aperta iri promittebat. Ita autem fuit liberalis ingenii vir, ut artem, quam multis curis vigiliisque multis fecerat suam, hanc non sibi servare cuperet aliosque ea impertiri nollet, sed ultro eam cum doctis peritisque viris communicaret. Sic et Gallis eam explicuit et Anglis ([25]) idque ea fecit ratione, ut ab his candoris atque ingenuitatis laudes reportaret summas.

Christianus, cum monstrasset viam, qua ipse successum habuerat omni spe atque exspectatione majorem, hanc aliis currendam reliquit, breviqne habuit multos et artis suae imitatores et laudis suae aemulos. Nam etsi famae esset cupidissimus, non tamen is erat qui aliorum meritis invideret. Summo semper honore habuit atque pretio ([26]) lentes Campaninas; Auzoutii Espagnetiique laudator ipse exstitit laetus multusque, nec Gallos universe, si probo puroque uterentur vitro, celeberrimis in arte Italis postponendo esse censuit.

Interim ipse altiora spirabat quidem, sed quo minus perficeret variae obstitere causae. Infausta nimirum tempora fratrum studia mutua manebant. Christianus, Ludovici XIV regis Galliae honorificae vocationi obtemperans, Parisios habitatum abit, atque per longam annorum seriem a Constantino separatur, quem muneris sui gravissimi officia a latere Principis Arausiaci (cui erat a secretis) discedere prohibent. Tanto auxilio destituto, plurimisque distracto occupationibus, artis praxin colere ([27]) atque exercere, uti ante consueverat, nec animus fert nec corporis vires sinunt. Accedit vero alia causa, nec ea minoris momenti, vitri puto, lentibus majoribus formandis apti, inopiam ([28]), tantam eam ac talem, ut vel ipsis Parisiis, quamvis

Digitized by Google

curante Hugenio, nec bonum conficeretur vitrum, nec aliunde illud posset obtineri. Ita autem vir egregius omnem abhorrebat mediocritatem, ita studiosissime semper appetebat perfectionem, ut aliquando Constantino haec memorabilia scripserit verba: « nolo arti operam dare ([29]) nisi lentes, quae produturae sint, aliis praestantia excellant. » His commotus causis, Christianus lentes majores formandi consilium in aliud feliciusque tempus distulit, ea interim sedulo curans, quae, si grande opus iterum inchoaret, haud parum conferrent ne magnis suis ausis excidisse reperiretur.

Constantinus Hugenius, quem haud immerito Christiani dextram vocaveris, tanto artis perspicillariae amore ardebat, ut, non obstantibus tum muneris rationibus, tum aliis, quibus impense operam dabat, studiis, vel absente fratre suo, [30]) hanc et curaret et strenuissime coleret. Quoties Christianus Parisiis Londinive moraretur, toties eum interrogare non desiit Constantinus de artis apud exteros conditione, deque progressibus, quos ibi vel fecissent vel etiamnum facerent artifices. Quod si Christianus tardior esset in respondendo, iterum iterumque eum aggredi Constantinus adhortarique, ut tandem aliquando moneret an veri essent, qui spargebantur, rumores, sed quibus vix fidem habere posset, exterorum telescopia esse tam praeclara, imo suis praestantiora. Ferre nimirum hanc cogitationem non poterat vir eximius, non invidia ductus, sed intima victus persuasione, majorem, quam ipsi adhibuerant, sedulitatem ab aliis adhiberi non posse.

Eo autem rem perduxerat Constantinus, ut, quamvis fratrem desideraret plurimum, non tamen ab incoepto opere desistere cogeretur. Ipse suo marte ([31]) acriter, quidquid artis spectaret praxin, indagare, perquirere, nova subinde melioraque excogitare; lentes, majores cum facere absque fratre recusaret, minimas, microscopicis observationibus inservituras, formare; denique fratri eas suppeditare lentes, quas hic ipsi conficiendas mandaret. In quibus omnibus ea usus est vir diligentissimus accuratione, ut ei Christianus et gratias haberet debitas, et laudes, quas posset, tribueret maximas; cum ingenue profiteretur, quas Constantinus in suos usus confecisset lentes, eas sibi videri ipsis lentibus Campaninis superiores.

Tales cum essent fratres a se invicem divulsi, quali eos animo fuisse existimemus, cum laetus iste illuxisset dies, qui Christianum salvum in patriam reduceret! Laetus inquam utrique dies, quo tandem ardentium votorum suorum compotes se factum iri merito suspicabantur. Haeret nimi-

Digitized by Google

rum memoria infixum quod Christianus adhuc juvenis praedixerat, se aliquando telescopia ad centum pedes et ultra esse producturum. Vident jam Gallos Italosque certatim hunc laudis honorisque campum strenue currentes. Intelligunt Saturnum planetam a Cassinio novis, atque iterum novis, comitibus ornari. Hartsoekerum audiunt ([32]) ingentem construxisse telescopii lentem majoresque eum moliri. Ecquibus stimulis acutioribus Hugenii fratres incitarentur A. A. ut laudatissimum laborem denuo susciperent? Alacres igitur, etsi jam aetate provecti, arduum ingrediuntur negotium, negotium subtilitatis et industriae plenum, quoniam errores eorumque causae oculos plerumque fugiunt, nec nisi conjectando investigari possunt; negotium, tot illud ac tantis difficultatibus obseptum, ut Christianus de rei successu fere desperaret. At frater ipsi adest fidelis, ([33]) cui quo ardebat, artis amorem inspiraverat; frater, qui eadem qua ipse, cura eam persequitur; frater denique qui una secum innumerorum experimentorum laborem exantlare non recusat. Tanto auxilio fretus Christianus vel majora tentasset.

Improbum laborem alacriter coeptum qua ratione fratres illustrissimi persecuti sint, quo quaeso modo vobis describam A. A. Tot enim et tam praeclara dedere studii diligentiaeque exempla, ut, cum omnibus enarrandis ne dies quidem sufficiat, plane incertus haeream, quae prae reliquis excitem, aut a quo exordiar. Dicamne de Christiani patientia ([34]) atque perseverantia, qua in eandem lentem objectivam, eundem molestissimum laborem, dies continuos durantem, septies repetit, ut justam illi conciliet formam? Aut Constantini commemorabo ardorem, ([35]) immodicum eum fere dixerim, cum fratrem ad intensiora studia excitat, eumque subinde refrigescentis erga nobilissimam artem amoris accusat? An curas potius enumerare tentabo innumeras, quibus solliciti fratres undique ea sibi comparare student, e quibus laboris sui salutem pendere ipsis est persuasissimum; aut res exponam adversas, quas experiuntur plurimas, aut dolos, ([37]) quibus eos malevoli circumveniunt? An Christianum vobis laudabo, artem dioptricam non exercentem, nisi ut a severioribus studiis requiem capiat? Aut Constantinum potius, cui frequentes a fratre discessus vix diem horamve dioptricae dare concedunt? Quique principem Guillielmum III, Angliae regem, ubivis comitans, in mediis hostibus ([38]), in ipso praeliorum tumultu nec fratris obliviscitur sui, nec artis suae dilectissimae? Quid vero his attinet immorari A. A? quid vobis telescopia, quae fratres paucorum annorum spatio fecerunt

Digitized by Google

et multa et magna, ([39]) aut numerare aut metiri? Nam licet haec, ceteraque quae tetigi, ad laudem faciant plurimum, praecipua tamen laus in operis praestantia est posita. Hanc summam praestantiam unice spectarunt fratres; hanc omni cura sectati sunt, hanc eos assecutos esse, vel levissimo dubio caret.

Sive enim eam telescopii virtutem consideres, qua corporum coelestium minutiae oculis dilucide percipiendae exhibeantur; sive eam, multo illa praestantiorem, qua minutiarum istarum formae, situs, motusque accuratis mensuris explorari queant, utraque illa dote excelluerunt Hugeniorum telescopia ([40]). Testor, quae ipsi fecere suorum instrumentorum pericula; primum planetas, melius, grandius, distinctius ab ipsis visos; tum planetarum satellitumque motus accuratius definitos; nova denique quae subinde in coelis deprehenderunt objecta. Imprimis vero eas respicio observationes, quas, fratribus eheu! jam fato ereptis, Pondius astronomus Anglus, at praeclaro telescopio Hugeniano 123 pedum munitus, de Saturno ejusque annulo comitibusque instituit egregias. Has prae reliquis excito, quippe quae, a peregrino factae, et subsequentibus temporum experientia confirmatae, eximii laboris documentum sint validissimum.

Gloriantur Angli, nec injuria, praestanti eo, quod possident telescopio Hugeniano. Galli, quodammodo invidentes, id Christiano nostro vitio vertunt quod hunc optimum suum apparatum, non Parisiis, sed Londino cesserit. Faciunt autem immerito; nam, quibus lentibus Pondius usus est, eas Christiani frater Constantinus et sua ipse manu confecerat, et paucis ante obitum annis Societati Regiae Londinensi, majores etiam ab ipso petenti, recusare noluit. Sic peropportune vir eximius fratris sui, qui quondam Anglos artem docuerat dioptricam, benevolentiae addidit cumulum; sic peropportune curavit, ut Angli haberent, quod in perpetuum servarent, Batavorum doctrinae atque industriae monumentum egregium.

Nobisne igitur A. A. apud exteros excurrendum est ut contemplemur quo hi gloriantur, nostratium studii testimonium? Nullaeve nobis ipsis fratrum assidui laboris supersunt reliquiae? Immo supersunt, supersunt complures. Frustra quidem circumspicimus publicum gratitudinis atque admirationis monumentum quo, si alibi vixisset, Christianus Hugenius profecto non careret; at nobis tamen non desunt quae in ipsius fratrisque laudem exhibeamus studii indefessi specimina; ea nimirum ipsius manuum opera, quae digno ac conspicuo loco posita, omnium fortasse monumentorum efficiunt praestantissimum. Haec ipsa Academia Lugduno-Batava, tot aliis doctrinae monumentis clara, eo quoque superbit, quod multis dives est lentibus ([42]) telesco-

Digitized by Google

picis, a Christiano Constantinoque formatis. Has, gemmis margaritisque pretiosiores, sancte pieque servat, ut quanto habeat pretio atque honore vestras virtutes, fratres eximii! publice testificetur. Has, gemmis margaritisque pretiosiores, sancte pieque servat, ut vobis, juvenes optimi! quotquot disciplinas colitis physicas, incitamento sint, ut tam praeclara imitemini exempla. Vos, quoties Hugenianas lentes inspicitis (eas autem inspicitote saepissime) toties velim cogitetis, vos, vel vestrae famae, vel Academiae, quam amatis, gloriae melius prospicere non posse, quam si curetis, ut insequentia secula inveniant vestrorum studiorum reliquias dignas, quae Hugeniorum reliquiis adjungantur.

Muneris mei ratio postulat A. A. ut nunc commemorem quae, anno praeterito, Academiae Lugduno Batavae accidere vel fausta vel adversa (*). Non tam felicem esse mihi contigit, ut nulla haberem tristia enarranda, habeo enim vel tristissima; at fuere ea ita laetis mixta atque temperata, ut mei magistratus annum prorsus infelicem praedicare nolim.

Cum universa patria luximus, atque etiamnum lugemus, ingentem cladem, quam Rex noster Augustissimus e dilectissimae consortis suae, illustrissimae Reginae, principis raris virtutibus conspicuae, obitu accepit. Laetamur autem, summoque Numini sinceras agimus gratias, quod Rex optimus, qua solet animi fortitudine res ferre adversas, eâ hanc quoque gravissimam calamitatem tulerit; ita ut ipse et salvus sit et patriae commodis prospicere pergat. — Laetamur domum regiam, a novis, quae ipsi imminuere, periculis liberam mansisse et intactam. — Laetamur Regis augustissimi Nepotem, natu majorem, celsissimum principem hereditarium ex hac Academia discedentem egregie se imbutum probavisse iis doctrinis, quae ipsi, quum ad summum aliquando vocetur imperium, vel adjumento erunt vel ornamento.

Academiae Curatores, viros amplissimos, salvos esse et incolumes gaudemus, salvos et incolumes eos esse jubemus. E vestro collegio unum absentem esse et propter aetatem et propter luctum domesticum vehementer dolemus. Vos, viri illustrissimi, vestris curis Academiae dignitatem, quam in hunc usque diem tuiti estis, in posterum quoque diu tueri pergatis!

E Professorum ordine desideramus virum cl. S. S. van der Eyk, anno superioris seculi septuagesimo primo Brielae, e nobili gente, oriundum. In cujus viri, praeceptoris quondam mei aestumatissimi, laudes illud primum dicendum venit,

(*) Senatus acta relata sunt in additamento I, Orationi subjuncto.

Digitized by Google

eum, postquam in hac Academia disciplinarum elementa fuerat edoctus, annos natum 25, dignum fuisse habitum, qui Lectoris titulo ornatus, summo succederet Nieuwlando. Lectoris vero honore per breve tempus usus est, cum mox ad professionem extraordinariam, dein ad ordinariam escenderet. Quo munere per 32 annos continuos, (quorum duos tamen postremos honesto transegit otio) ita functus est, ut, qui ipsum in scholis habendis diligentia aequarent, pauci, qui superarent, nulli esse viderentur. Erat autem vir propenso in discipulos animo, eorumque studiis, editis quoque scriptis, quantum posset, profuit. Quibus omnibus de Academica juventute meruit optime, nec dubito, quin melius adhuc meruisset, nisi et tempora vixisset, tum universae Academiae, tum disciplinis physicis minus fausta, et per 20 fere annos diro laborasset morbo, quo in dies ingravescente, tandem mors d. 20 m. Septembris anni praeteriti animum, a corporis misere vexati vinculis liberatum, in meliorem, uti confidimus, vitam transtulit.

Reliquos collegas honoratissimos et vivere et vigere laetor; maxime vero vos V. V. C. C. qui carissima vobis erepta capita ploratis, dolorem vestrum gravissimum ita ferre, ita moderare, scivisse, ut e privata vestra calamitate, quae ingentem apud nos omnes excitavit moerorem, literaria res publica nihil ceperit damni.

Palmium, quamvis non praesentem, nobis tamen superesse (diu autem supersit!) gaudemus. Cujus viri egregia institutione etsi orbatos doleamus cives nostros Academicos, eo tamen minus id ferimus aegre, quo magis cogitamus virum praestantissimum et hanc Academiam et universam patriam tot sibi devinxisse nominibus. Ordini nostro duo accessere ornamenta, e Weyersii atque Rutgersii V. V. C. C. ad ordinariam in litteris orientalibus professionem appellatione. Vobis, V. V. C. C. egregium quod vobis patet curriculum impense gratulor. Hamakeri Palmiique, at quantorum virorum, desiderium nobis leniri vobis est in votis. Votorum successum vobis apprecor in vestrum honorem, in Academicae juventutis utilitatem, in patriae gloriam. — Tibi quoque quaevis fausta contingant, Doct. Kaiser, cui observatorii instaurandi, ornandi, curandi, astronomiam denique docendi provincia mandata est. Tibi, Lector peritissime! novos hos honores impense gratulor; gratulor Academiae, quae te in meum subvectum locum, doctorem et observatorii rectorem nacta est.

E civium Academicorum numero quinque juvenes ornatissimi, inopportuna morte exstincti, parentibus, amicis, nobis, sive doctoribus, sive condiscipulis, grave sui reliquerunt desiderium. Optimae spei adolescentes nobis ereptos dolemus. Sit ipsis terra levis!

Digitized by Google

Quod supellectilia Academica attinet, bibliotheca, musea varia, antiquarium, numismaticum, alia, nullo excepto, sive disciplinis ea, sive artibus, sive litteris promovendis inserviant, virorum doctissimorum iis praefectorum curis florent, et in dies nova, insignia saepe, capiunt incrementa. Sic, ut e multis pauca eaque praecipua commemorem, Horto Academico nova augmenta, et ornamenta, accesserunt; tum acquisita ingenti herbarum copia, illarum praesertim, quas ex India Orientali transmissas Korthalsii, viri expertissimi, cura horto servavit; tum caldariorum magis perfecta constructione, iisque adstructo apparatu, ad calefaciendum ita idoneo, ut et plantarum exoticarum indoli accomodatissimus sit, et ad defendendas stirpes contra injurias hibernas aptissimus.

Medicinae studiosis optime consultum est, cum Professores praxeos in Nosocomio Academico a rei militaris Administro regio veniam impetrarint milites in nosocomio militari notabili morbo decumbentes, inde in Nosocomium Academicum transferendi, ibique sub ipsorum praesidio atque tutela medicinae candidatis curandos committendi.

Humbertus Supervilius vir ornatissimus ea sibi hoc anno concessa gaudet subsidia, quibus tandem aliquando ea poterit supplere, quae diu in museo suo desiderabantur.

Museo physico illud hoc anno singulare contigit beneficium, quod, praeter subsidia extraordinaria, donum acceperit haud spernendum, machinam, quam vocant, electricam, liberalitate nobilissimae matronae viduae Baronis Collot d'Escury concessam.

Vos denique mihi commemorandi estis juvenes optimi, Academiae nostrae cives, vestrum studium, vestra mihi publice celebranda est diligentia. Quod eo lubentius facio, cum mihi negatam videam, quae jucundissima fuisset, opportunitatem, vestrûm nonnullis, veluti reliquorum delegatis, doctrinae atque assiduitatis praemia porrigendi. Quod vero mihi concessum non est, illud successori meo viro cl. denuo concedetur. Mox enim ad novum laudis honorisque certamen evocabimini. Vos strenue concurrite! concurrite vero ita, ut, qualiscumque vobis sit exitus, minus de victoria contendisse videamini, quam de doctrina, de sapientia, de virtute!

Atque jam illud mihi supremum est, ut Academiae magistratum deponam, et in te, Peerlkampi, V. C. conferam. Salve Rector Magnifice! Te Rectore floreat Academia Lugduno Batava!

Digitized by Google

ANNOTATIO.

1). *Tandem suum ipsi locum adsignavit Swindenus.* Cf. dissertatio de telescopii inventione, quam e Swindenii mss. posthumis composuit cl. Moll, atque sub titulo: *Verhandeling over de uitvinding der verrekijkers*, cet. edidit inter commentationes classis I Instituti regii Belgici.

2). *Quos haec alma mater fovit.* Constantinus atque Christianus Hugenius anno 1645 studiorum causa Leidam profecti sunt; ibique d. 12 Maji a Johanne Polyandro a Kerckhoven octavum Rectore M. his verbis civium Academicorum albo inscripti sunt:

Hugenius Constantinus, studiosus juris, ann. 19, Hagiensis, habitans apud Palavisinum Italum, *in de Ceurvorst van Sassem, op de Steenschuyr.*

Christianus ab Huegens, studiosus juris, Hagiensis ann. 16 habitans apud eundem.

3). *Manuscriptorum Thesauro.* Manuscripta sc. Hugeniana, maximam partem inedita, quae in bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae servantur.

4). *Christianus Hugenius vix erat e scholis in publicam vitam translatus*, cet. Christianus Hugenius, postquam annum circiter scholas frequentasset professorum Lugdunensium, a patre missus est in Gymnasium, quod Bredae florebat. Ibi tres fere annos commoratus est, menseque Augusto a. 1649 Hagam Comitum in domum paternam rediit. Ibi studiis mathematicis strenue operam dare non desiit; imprimis vero eum occuparunt tum theoria corporum fluidis innatantium, tum dioptrica. De illa libros conscripsit, numquam editos, qui etiamnum supersunt. Hanc vero ita coluit, ut aetatis suae anno 23 praecipuum totius dioptrices fundamentum se invenisse profiteri potuerit. Quamvis igitur libri, quos hac juvenili aetate de dioptrica conscripsit Hugenius, et quos in lucem emittere ipsi in animo erat, non nisi post mortem auctoris fuerint editi; nihilo tamen secius constat, uti e sequentibus notis apparebit, Hugenium jam anno 1652 dioptrices universae theoriam ita habuisse perspectam, ut nullus dubitaret, quin novis suis inventis tubi optici immensum quantum perficerentur.

5). *Arridet ipsi rei gravitas* cet. Hugenius 29° Dec. 1652 ad Aloysium Kinnerum a Löwenthurn scripsit: « nunc autem dioptrica conscribere aggressus sum, neque in ulla materia majorem voluptatem inveni aut difficultatem. »

Digitized by Google

6). *Ad praeceptorem suum cl. Schotenium referentem.* Retulit haec Hugenius in epistola sua 29 Oct. 1652, quae omnium prima est, in qua inventi sui mentionem fecit. Ea sc. inter Hugenium et praeceptorem suum Schotenium intercesserat caritas atque necessitudo, ut nemini prius quam Schotenio inventa sua communicaret Hugenius, nulliusque de iis judicium majoris aestimaret. Viguit haec inter viros egregios amicitia, teste eorum commercio epistolico, quod etiamnum superest, quamdiu viveret Schotenius.

7) *Elegans inventum.* Quale fuerit elegans istud inventum, quod Hugenius in epistola sua ad Schotenium d. 29 Oct. commemorat, patet e seqq. quae 16 Dec. a. 1652 ad Tacquetum scripsit: « Scribis tibi in refractionibus theorema quoddam investiganti demonstrationem adductam usu venisse, quod ego non sine quodam voluptatis sensu animadverti, te scilicet in ea quoque materia occupatum esse vel certe fuisse, quae me nunc totum tenet. Quid novi inveneris scire gestio. Ego quidem duos jam libros super ea re pene perscriptos habeo, quibus et tertius accedet; prior est de refractione planarum et sphaericarum superficierum et lentium; alter de apparenti augmento vel decremento eorum, quae per refractionem conspiciuntur. In hoc praecipuum est quod, datis, positione et figura, una, duabus, vel quotcumque lentibus, objecto et oculo, ostendi quo augmento vel diminutione illud conspici debeat, item an erectum an conversum. In illo datis iisdem, utrum distincta sit futura visio an confusa. Praeterea ostendi quomodo radios ad datum punctum tendentes ad aliud datum punctum congregare possimus ope superficiei sphaericae, idque accurate, sicut Cartesius per curvas lineas suas effecit. Cujus quidem principia sequor in dimetiendis refractionibus. Cum Schotenium nostrum de hoc invento scripsissem, fidem apud ipsum non invenit; putabat enim Cartesium hoc latere non potuisse, nisi esset omnino impossibile, atque etiam nunc in sua est opinione; nondum enim demonstrationem exhibui, expectans donec huc excurrat. Caeterum aliquod tibi specimen horum edere volo, quum tam liberaliter egregiis tuis theorematibus me impertiveris. Quomodo in lente inaequalium convexorum punctum concursus radiorum parallelorum inveniri possit frustra quaesivit Keplerus. Id autem sic expedio. Esto lens CD, quae vel aequaliter vel inaequaliter convexa sit, sitque A centrum superficiei C, et B superficiei D, et jungatur AB, et producatur utrimque, ut tam CF ad FA quam DL ad LB habeat proportionem refractionis (haec autem in vitro sesquialtera est fere, sed paulo major, nam accurate eam



Digitized by Google

dimetiendo inveni esse quae 600 ad 397) deinde ut E L ad L B ita sit E D ad D O, eritque O punctum concursus quaesitum, nempe radiorum, qui rectae B A paralleli incidunt in superficiem C, adeo ut nullius radii concursus in axe contingat ultra punctum O. Cujus quidem demonstratio quum a plurimis theorematis dependeat, hic non adscribam, neque eam te nunc exigere crediderim. »

Christianus igitur Hugenius, jam anno 1652, adeoque aetatis suae 23°. praecipuum dioptrices fundamentum, de quo invento tantopere, nec immerito, gaudebat, posuisse videtur. Regulam sc. universalem invenerat, cujus auxilio, dato puncto lucente, datisque superficiebus refringentibus sphaericis, definiri posset punctum concursus radiorum refractorum. Hujus regulae casum specialem, ad radios incidentes parallelos pertinentem, in sua ad Tacquetum epistola speciminis loco exhibet, ignorans, ut videtur, in hoc casu particulari definiendo, ipsum antevertisse celeberrimum geometram Bonaventuram Cavalerium, qui jam a°. 1647 eandem regulam in *Excercit. Geom.* publici juris fecerat. Dolendum profecto est Hugenium tam diu editionem tractatus sui de dioptrica distulisse, ut mors ipsum impediverit quo minus ipse eam curaret. Quod si maturius inventa sua de momentosissimis dioptrices partibus cum orbe erudito communicasset, profecto, primae inventionis honore, quo nunc Halleyus aliique ornari solent, non orbatus mansisset.

8). *Theoreticae disquisitiones docent - quae forma* cet. Elegans inventum, de quo supra n°. 4. egimus, eodem foecunditatis charactere excellebat, quo reliqua Hugenii inventa fuere perspicua. Eo dioptrica scientia veluti creata est; cui explicandae diligentes etiam manus admovit, librosque conscribere aggressus est, quos quominus absolveret valetudo minus prospera, absolutosque ederet, argumenti difficultas impediverunt. Sic enim mense Martio 1654 ad Danielem Lipstorpium scripsit: « ex quo ille (morbus diutinus) me reliquit, ad studia mihi jucundissima reversus sum, absolvique de refractionibus tractatum, ita tamen uti secundis curis omnino adhuc indigeat. »

9.) *Constantinus studiorum mathematicorum socius.* Constantinum Leydae duce Schootenio una secum disciplinis mathematicis operam dedisse testatus est ipse Christianus (in annot. MSS. ad Baillieti Vitam Cartesii) his verbis: « ce frere ainé estoit auprès de mon pere à l'armée. Il avoit appris conjointement avec moy à Leyden de Fr. Schooten, mais ses emplois, où il entra jeune, ne luy permirent pas de continuer l'estude des mathematiques. Et mon cadet n'y sçut jamais rien, n'ayant point d'inclination pour cela. De sorte que c'est un abus de dire que nous sommes tous devenus grands mathematiciens, et c'est faire trop d'honneur à moy aussi bien qu'à mes freres. »

10). *Christianus-Gutschovium imprimis litteris interpellat.* Cum artificum inopiâ Christianus cogeretur manus operi admovere artemque factitare telescopiopoei, eorum imprimis consilia praeceptaque imploravit, quos noverat ante ipsum in eodem argumento feliciter fuisse

Digitized by Google

occupatos. Sic a Gutschovio v. cl., qui imprimis hanc calluisse artem videtur, opem auxiliumque his verbis petiit (scripta est epistola 4°. Nov. 1652.):

« Memini me ex te didicisse ante annos aliquot, quomodo facili atque accurata ratione lentes vitreae expoliri possint. Nunc autem quaedam alia ad artem eam pertinentia scire gestio, quae te eadem liberalitate mihi detecturum confido. Patere igitur ut tibi interrogationibus aliquot molestus sim, iisque si fieri poterit tantumdem verbis modo respondeto. Et prima quidem de formarum materia erit. Etenim an ex ferro, an ex aere admisto stanno confectas habes, et, si hoc, qua temperatura. Quomodo figuram perfecte sphaericam inducis? quali arena lentes atteris? et an in eadem forma qua deinde expoliuntur? quo glutine lentes capulo affigis, picene an gypso? et an solida ad hoc Tripolitana terra uteris? Scribunt praeterea aliqui modum omnino observandum in formarum latitudine, ne nimia sit, quos an probes scire velim, et an quisquam plene perfecteque tradiderit omnia, ad quem me ablegare possis. Si molestiam refugis expediendi ea quae proposui, nunc autem qua de causa haec novisse cupiam indicabo. Coepi nuper in dioptricis quaedam diligentius inspicere, cum scientiam eam in multis mutilem adhuc atque imperfectam cernerem, licet immensum in modum a Cartesio fuerit promota, eo solo principio quod circa naturam refractionum adinvenit. Cui ego insistens reperi primum quod etiam lentes quae sphaericis superficiebus constant, determinatum habent punctum concursus vel dispersus radiorum qui paralleli incidunt, atque etiam eorum qui ex puncto procedunt vel tendunt ad punctum. Neque ita tamen, ut omnes radii ad illud pertineant, verum ejusmodi reperitur punctum, ultra quod nullus radius concurrit cum ea linea, quae per utriusque superficiei centrum transit. Ea igitur puncta, quavis proposita lente, quomodo reperiantur inveni, cujus rei mox specimen tibi ostendam. Dein hoc reperi atque evidentissime demonstratum habeo, quod ope superficiei sphaericae radii ad datum punctum tendentes in alio dato puncto propiori vel remotiori congregari possunt accurate, sicut Cartesius per lineas curvas id effecit. Cui consequens est ut etiam per sphaericam superficiem refringi possint, qui ex dato puncto veniunt, tamquam si ex alio propiori vel remotiori procederent. Eo invento telescopia multo quam ante hac perfectiora efficere me posse existimo, cujus modum, ubi successerit, nemini quam tibi libentius sum explicaturus. Desunt autem nobis periti artifices, neque multum iis confidere lubet, cum jam nunc unus, cui lentes duas faciendas locaveram, nescio quo avolaverit. Ea propter a te auxilium petere inductus fui, ut quae praecepisses ipse, sic exequi tentarem. — Nunc autem quod dixi specimen tibi conscribam. » Cet. Sequitur jam illud ipsum specimen quod supra exhibuimus, et in cujus locum malumus aliam describere epistolam, quam Christianus, post accepta Gutschovii praecepta, huic rescripsit, et quae, quamvis longiuscula, integra hic traditur, quippe quae eximie thesin nostram confirmat, Hugenium sc. principiis theoreticis innitens tubos perfecisse opticos.

« Litterae tuae, quas 10° Febr. dederas, non ante vigesimum redditae mihi fuerunt, quibus tamen antea rescripsissem, nisi per dies aliquot ferias et otium mihi ipse indixissem firmandae valetudinis causâ, cui cum studiis nostris minus bene convenit quam vellem.

Digitized by Google

Praecepta artis perspicillariae tam laetus accepi quam cupide exspectaveram, quae si feliciter effecta reddere potuero, et lentes tam accuratas nitidasque expolire, quam sunt eae, quas in tubo D. Edelberg insertas vidi, puto me inventum telescopiorum quo usque promovere posse. Verum omnino tubis longioribus opus esse comperi, neque unquam fieri posse ut tubo brevi multum augeantur visibilia simulque lucida conspiciantur, etiamsi hyperboles aut ellipsis figuram vitra recipiant. Obscuritatem enim inducit augmentum necessario, eaque obscuritas rursus amplitudine aperturae lentis exterioris corrigitur. Verum nullae lentes aperturam valde magnam patiuntur, et hyperbolicae nihilo forte majorem quam sphaericae, propter incommodum colorum; hi namque inde proveniunt, quod versus margines latus cujuscumque superficies sensim majori angulo inclinantur. Videris autem circa lentes sphaericae figurae paulo iniquius sentire, cum nihil perfecti earum ope assequuturas nos existimas, quae tamen nisi essent, nihil ad hunc usque diem effectum fuisset. Imo vero non multo hyperbolicis deteriores esse arbitror, ejusque opinionis rationem reddam in tractatu eo, quem nunc prae manibus habeo. Sed illud interea declarandum est quo sensu dixerim in lentibus pro concursus puncto tale inveniri, ultra quod nullus radius conveniat cum lentis axe. Verum est omnem radium axi parallelum, si modo lentem penetret, cum axe convenire, sed hoc nullo modo dictis meis adversari ex figura hic adscripta facile intelliges. Radii AB, DE, axi NK sunt paralleli, quorum AB cum axe concurrit in puncto C, sed DE in puncto F, paullo ulterius quam C, quia axi propinquior fertur. Nam hoc demonstratum habeo, atque ita, quo propiores axi sunt radii incidentes, eo cum axe semper conveniunt ulterius. Sed hic jam unum punctum determinatum est, puta K, ultra quod nullius radii concursus pervenire potest, idque punctum focum lentis esse manifestum est, et quomodo inveniatur superioribus litteris tibi nisi fallor ostendi. Similiter si radii exeant e puncto aliquo axis ut L, ii rursus punctum concursus alicubi habebunt ut M determinatum videlicet eo modo, quo punctum K. Sed ut hoc accidat oportet distantiam LN majorem esse quam OK, hoc est quam distantia puncti concursus parallelorum a lente. Nam si radii procedunt a puncto N ut sit NH brevior quam OK, non convenient ii cum axe post lentem sed ita ferentur post refractionem, quasi ex puncto aliquo magis remoto prodeuntes ut P. Et horum quoque punctorum locos facile per nova problemata mea invenio. Porro quod sensibilem tibi latitudinem obtinere haec concursus puncta videntur, nescio unde id conjicias, nisi forte spatium illud in quo lens soli opposita comburit pro



Digitized by Google

latitudine puncti concursus habueris radiorum parallelorum. Ita vero nequaquam aestimari convenit, cum spatium istud latitudinem accipiat ex angulo, sub quo sol nobis apparet. Quod adeo verum est, ut si lentem haberemus, quae combureret ad distantiam pedum 100, ejus focus propemodum pedalis latitudinis futurus esset, ac propterea nequaquam calidus, nisi lens ipsa mirificae magnitudinis existeret, contra vero quam plane insensibilem amplitudinem habeat punctum concursus radiorum parallelorum, vel qui ex uno aliquo puncto prodierunt, demonstrat pictura per lentem convexam in cubiculo obscuro nitidissima, si modo lentis superficies non nimis magnam superficiei sphaericae portionem complectantur. Quae certe pictura nequaquam tam subtilis contingeret, nisi qui ab uno puncto venirent radii, in alio quam proxime congregarentur. Sed et numeris haec saepe examinavi, quibus solis percipi potest quantum accurata ratione ista distent, oculis vero non facile.

Quod proportionem refractionis vitri determinas eam, quae est 20 ad 13 sive 600 ad 390, quam ego scripseram 600 ad 397, credo equidem accuratis observationibus usum te fuisse, sed mihi omnium certissimae videntur, quae ex coloribus iridis habentur. Nempe sicut ex angulis semidiametri iridis caelestis utriusque Cartesius aquae refractionem invenit verae proximam, ita ego, comparato mihi exiguo cylindro vitreo, minimi digiti crassitudinem habente, soli eum exposui, observavique instrumento geometrico sub quo angulo color ruber appareat. Et sic comperi semidiametrum maximam iridis primariae in pluvia vitrea fore circiter gr. 21, secundariae minimam gr. 89. Atque inde, non tabularum ope, quas ad modum Cartesii construere longum esset, sed per regulas quasdam refractionis proportionem eam esse reperi, qualem paulo ante statui. Quoniam vero perutiles eae regulae sunt, ad aliorum quoque diaphanorum refractiones indagandas, etiam liquidorum, si sphaerulas vitreas iis impleverimus, gratiam abs te initum me puto, si hic ea adscripsero; ego sane, cum invenissem, non parum gavisus sum. Cognito igitur, praecedenti experimento, angulo, sub quo semidiameter maxima iridis primariae appareat (imaginariae tamen, namque ex una gutta de tota iride pronunciamus) sic procedendum est. Inveniatur numerus, qui ductus in quadratum suum, multatum triplo quadrato tangentis dimidii anguli ejus, sub quo semidiameter iridis maxima conspicitur, fiat aequalis quadrato ejusdem tangentis ducto in duplam secantem suam. Hoc autem invenire solidum est, atque expediri potest vel per Cardani regulam, vel commodius per methodum Vietae probl. 11 de numerosa potestatum affect. resolutione. Repertus porro numerus dictae secanti addatur; et, sicut haec summa ad radium, qui est in canone, ita sit radix quadratica educta ex quadrato ejusdem summae et triplo quadrato radii ad alium numerum. Is ad ipsum radium habiturus est proportionem eam, quae est refractionis. Contra vero, proportione refractionis data, invenitur semidiameter iridis, ope regulae hujusmodi, quae priori facilior est. Ut minor proportionis terminus ad majorem, ita sit radius circuli, qui est in canone, ad alium numerum. Ejus numeri quadr. auferatur a quadruplo quadrato radii, et ex residui triente eliciatur radix quadr. Dein, ut major proportionis terminus ad minorem, ita sit radix inventa ad alium numerum, et quaeratur cujus anguli sinus sit hic numerus. Nam si ab anguli hujus duplo

Digitized by Google

auferatur angulus, cujus sinus est radix praedicta, reliquum bis sumptum dabit angulum semidiametri iridis quaesitum. — Habes quae pertinent ad methodum, qua ego refractiones metior, et velim nihilominus vestram quoque lubenter doceri; quae si eadem est, quam Cartesius in dioptricis tradidit, scito breviore constructione eam uti potuisse. Nam translato in triangulo ipsius B P I ducenda tantum est P L ipsi P B ad angulos rectos, et habebitur proportio refractionis P I ad I L, neque hujus longa demonstratio est, sed cui tamen scribendae supersedere volo, ne molestus sim. — Illam autem de lente sphaerica, lentem ex sphaericis superficiebus talem confici posse ut radios ad datum punctum tendentes in alio puncto dato omnes colligat accurate, ejus demonstrationem habeo evidentissimam, verum haec a reliquo tractatu seorsim tradi nequit. — Autores quatuor vitrorum expoliendorum, quos nominasti, omnes jam ante legeram, sed tu paucis paginis multo plura comprehendisti atque utiliora, pro quibus non tantum agere gratias, sed et referre, si qua potero, paratus sum. Libelli mei exemplar alterum, in locum deperditi, mitto, ut denuo, ubi commodum erit, ἐξέτασιν istam perlegas. Vellem otii plus tibi suppetere, cujus tamen cum subinde particulam nanciscaris, memineris nihil mihi litteris tuis magis acceptum esse. Vale! »



Extat quoque Chr. Hugenii epistola ad J. B. Moccki, virum in disciplinarum historia, quantum scio, ignotum, e qua hunc quoque haud mediocriter in arte perspicillaria versatum fuisse efficias. His enim verbis Hugenius ipsum aggreditur (*): « Estant de retour du voyage, ou j'ay eu l'honneur de vous connaistre, j'ay commencé à profiter de ce que j'avois appris chez vous, touchant la façon de polir exactement les verres, et j'ay fort facilement surmonté toutes les difficultés et inconveniens qui me domesrent de la peine autrefois. De sorte que j'ay construit une excellente lunette, de celles qui aggrandissent les objets prochains, de deux verres convexes, et aussy d'autres, pour des objets éloignés quoyque peu longues encore, faute de formes. Ainsy voyant que tout cecy reussit très bien pour ce qui concerne la maniere de faire la superficie spherique, j'ay songé encore à ce qui se pouroit faire pour obtenir l'hyperbolique ou l'elliptique, et parce que j'ay trouvé quelque chose qui me semble estre de consequence, je me crois obligé de vous en faire part, puisque je scais que vous vous estes adonné à cette mesme recherche. » — Expositis deinde iis, quae ad formam vel hyperbolis vel ellipseos vitris conciliandam ducere posse ipsi videbatur, his verbis epistolae suae finem facit: « Cependant avant que de finir, je vous

(*) Haec epistola caret tum temporis quo conscripta, tum loci in quem missa est indicium. — Iter, quod Hugenius commemorat, fortasse illud est, quod mense Augusto ao. 1654 instituit, cum fontes peteret Spadanos.

Digitized by Google

prie qu'il vous plaise m'informer touchant les formes, à scavoir comment vous rendez le modele exactement spherique, de celles que vous jettez en moule: et, si vous les faites de bois, quelles formes sont les meilleures; celles de fer, ou de cuivre meslé avec de l'estain? Je ne me suis servy jusques à present que de celles d'acier que je trouve très bonnes, mais on a bien de la peine avant qu'on leur puisse donner la vraye figure.

11). *Quo vix aliud praestantius* cet. Ipsa Hugenii verba ad Wallisium haec sunt: perspicillum mihi nuper paravi ipse 12 pedum longitudine, quo vix aliud praestantius reperiri existimo, quum ante hac nemo viderit quod ego observavi. Scribitur autem transpositis litteris in hunc modum: admovere oculis distantia sidera nostris VVVVVVV CCC RR H N B Q X. »

12). *In domo paterna.* Observationes de Saturni annulo ejusque comite factae esse videntur Hagae-Comitum. Exstant enim litterae Hugenii ad Schotenium 27° Dec. 1654 et 26 Maji 1655 ex hac urbe scriptae. Unde conjicio Hugenium durante hoc tempore Hagae vixisse. Galliam equidem a°. 1655 petiit, ut Andigavi juris doctor crearetur; sed ante mensem Julium vel Augustum iter suum non suscepit. Parisios hac opportunitate prima vice visitavit, unde ante anni finem domum redux, et variorum virorum doctorum adhortationi obtemperans, insequenti anno suas de Saturno observationes publici juris fecit.

13). *Recito ipsius Hugenii verba.* Haec verba petita sunt e schedula, in qua Hugenius brevissime de variis suis inventis loca praecipua exposuerat. Servatur haec pagella in MSS. fasciculo 13°. et de Saturno seqq. continet.

« De phaenomenis Saturni et lunula. Quale primum telescopium meum. Lens superficierum alteram planam ex speculo habebat, exili apertura. Tanto mirabilius annulum fuisse repertum. Diligentia mira in observando per hyemem, tertia post mediam noctem, vigente gelu. Ex Neuraei epistola de Gassendo, qui moriens delegabat amicis hanc de Saturno disquisitionem. De lunula mea Gassendo diversa? »

14). *Expleveras Gassendii vota.* Gassendius obiit mense Novembri a. 1655, adeoque eo temporis articulo, quo Hugenius suas de Saturni phaenomenis observationes jam absolverat sed nondum cum orbe erudito publice communicaverat. Expleverat igitur Hugenius Gassendii vota in Oratione commemorata, et quorum mentionem factam legimus in Neuraei ad Capellanum epistola inter MSS. Hugeniana servata. Haud ingratum fore arbitror si hujus epistolae initium, quod huc spectat, transcripserim:

Inclyto Capellano Neuraeus S. P. D. Eorum nemo est, vir sapientissime, quibus coelestia curae sunt, qui tibi immortales non habiturus sit gratias, ubi cognoverit tuo potissimum hortatu nunc esse retecta, quae in coelo hactenus ita latebant, miracula, ut vel astronomorum peritissimis vix humanae vestigationi pervia crederentur. Tibi autem immensas referre si cuipiam mortalium conandum sit, mihi quidem imprimis id uni incumbere sine

Digitized by Google

piacule dissimulare non possum; cum hoc ipsum tibi debeam saltem nomine amici nostri τοῦ μακαρίτου Gassendi, qui cum sibi non satis aevi superesse sentiret, nobis omnibus, qui sui eramus, et praecipue tibi, velut suprema dabat mandata ut, quia igitur ob vitae angustiam sibi negatum esset eam absolvere, quam Galileus tam auspicato inchoaverat phaenomenôn Saturnalium theoriam, promoverat ipse, hanc aut nos ipsi quoque persequeremur, aut id praestarent alii indefessis sollicitationibus authores essemus. Quod vero tibi omnium primo feliciter et quasi pro voto cesserit non gratulor magis quam laetor, sed maxime te talem nactum esse virum, qui, quo vocabas, ultro contendebat, quique tuum tandem prono sic impetu studium antevertisse videtur, ut nihil nisi currenti calcar addidisse videri quoque possis, sed tanta opportunitate quidem ut studium, quod non nisi longo plurimorum annorum curriculo emensurus erat, intra paucissimos tamen confecerit et ad ejus novissimam usque metam pervenisse longe pluribus speciem dederit aut fidem. » —

15). *Galliam hoc ipso anno petiit.* Cf. sup. n°. 12.

16). *Omnium tulit doctorum applausum.*) Hugenium in Gallia versantem et de Saturni luna, tubo suo optico primum visa, enarrantem hortati sunt viri docti, ut suas observationes in lucem emitteret. Huic admonitioni noster post suum in patriam reditum obtemperavit, et inter varios viros doctos, quibus opusculi exemplaria dono misit, non oblitus est eorum qui ipsi in telescopiis construendis auxilio fuerant. Testis sit seq. epistola

Cl. Viro D. J. Gutschovio

Chr. Hugenius S. P. D.

De Saturno observationem nostram tibi mitto, vir praestantissime, quam nisi mitterem, ingratus profecto essem; te enim autore primum perspicillis conficiendis animum adjeci, tu mihi praecepta artis nobilissimae suppeditasti. Ergo et profectus mei rationem tibi prae omnibus ut reddam aequum est. In Gallia nuper agenti sensere viri aliquot insignes ut novum hoc phaenomenon publici juris facerem, neque alias mihi in mentem venisset. Si placet d°. Tacqueto exemplar hujus mitte. Caetera ubi videbitur distribues. Vale! »

17). *Sed qui ipsi telescopium exhiberet suo aequiparandum, invenerat neminem.* In epistola ad Hevelium 25i. Jul. 1656 haec inveniuntur: « Sed eximio plane telescopio opus est, si quis oculatus testis (lunae sc. Saturni) fieri optat, qualeque nec apud cl. Bullialdum, neque usquam alibi in Gallia aut in his regionibus inveni. »

18). *Aegerrime sibi et tum et deinceps acquisiverunt vitri frusta.* Fratres Christianus atque Constantinus quum primum lentes fabricarunt telescopicas, experti sunt tubi optici virtutem non minus ex ipsa lentis materia, quam ex ipsius forma pendere. Hinc sedulo operam dederunt ut tale vitrum sibi compararent, quod puritate, pelluciditate, excelleret; venis, striis, bullis aliisque vitiis careret; negotium, quod vel hodie ingentis est difficultatis. Neque

Digitized by Google

etiam fratres illud obtinuisse dicendi sunt, quod non tantum ardentissimis votis expetebant, sed multis etiam curis sumtibusque, quamdiu vixerunt, obtinere studuerunt. Ipsa patria parum suppeditavit quo uterentur. Nec fabrica, quae Harlemi erat, nec deinceps illa, quam Sylvae-Ducum 's Gravesandius (pater celeberrimi quondam professoris Lugdunensis) administrabat, vitrum protulit satis idoneum. Aliunde, ex Italia, Venetiis imprimis, illud petere difficilius erat; nam quod ibi optimum esset, artificibus Italis, Divinio, Campanioque cessisse, quis non videt? In ipsa Gallia Christianus nihil invenit, aut confici vidit, probabile, cujus rei infra plurima videre potes testimonia. Anglia denique supererat, quae subinde fratribus vitri frusta suppeditavit haud spernenda, at expensis aliquando tam ingentibus, ut doli suspicionem moveant.

19). *Catina modosque — aliis facienda committunt.* Fratres saepius aliorum artificum auxilio utebantur. Sic in catinis aut formandis, aut in pristinam integritatem restituendis, Kalthovii (mox memorandi) et van den Burghii operam adhibuerunt. Vitra aut terenda aut polienda vulgaribus artificibus commendare solebant. Hos vel a praenomine, vel a professione, vel saepe etiam a domicilii loco indicabant. Sic passim commemorantur meester Dirk, seu l'homme de l'Achterom, meester Cornelis, l'homme du Caterstraat, l'homme du Wagenstraat, le schoorsteenveger, alii.

20). *Kalthof* sive Kalthoven (utrumque enim exaratum inveni) saepius in his Hugenii manuscriptis commemoratur; sed utrum alibi hujus viri meritissimi mentio exstet, dubito. Quae fuerit ejus origo, quae vitae conditio plane me latet. Illud vero, tum ex iis, quae mox de ipso afferemus, testimoniis, tum ex ejusdem cum Andrea Colvio V. V., necessitudinem tuto efficias, eum, etiamsi fortasse non inter viros doctos referendus sit, fuisse tamen haud mediocri ingenio praeditum, nec infimi ordinis hominibus annumerandum. Christianus Hugenius eum plurimi fecit; cujus rei etiam hoc documentum est, quod cum Christianus a°. 1616 Londini commoraretur, Kalthovium, qui tum quoque Londini versabatur, adire non dubitaverit. Nam in brevi quod Christianus hujus itineris nobis reliquit diario haec leguntur: « 21 Apr. disné avec mr. de Montyeu, avec Huls, esté chercher mr. Calthof, esté chez C. Smits ou j'entendis jouer Betkosky. »

21). *Quo peritiorem.* Constantinus Hugenius, qui, dum Christianus a°. 1655 in Gallia commoraretur, strenue astronomiam factitabat, plurimaque artem dioptricam spectantia praeparabat, 11°. Nov. 1655, haec scripsit: « Kalthoven ne m'a pas encore envoyé la forme pour les verres de 20 pieds. S'il tarde, je le sommeray de nouveau. C'est le premier artisan du pays pour ces choses là; et s'il venoit à nous manquer, nous serions bien desappointez. »

22). *Sic eum litteris alloquitur.* Ipsas Hugenii ad Kalthovium litteras easque integras hic discribimus: « Il y a 10 jours que mr. Colvius m'envoya la platine de fer pour

Digitized by Google

laquelle mon frere vous a importuné plus d'une fois. Elle estoit extremement bien travaillée, et nous a fait admirer cette grande industrie, qui vous fait venir à bout des choses les plus difficiles. Si nous en avions la dixieme partie, nous n'aurions pas été 10 jours avant que de luy pouvoir donner la derniere justesse et perfection, laquelle à la fin pourtant nous y avons apporté, mais avec beaucoup plus de peine qu'aux superficies de plus petites spheres. Il faudra voir maintenant si les verres reussiront et nous donneront des lunettes de 20 pieds, de quoy je ne manquerai pas de vous advertir, saschant toujours que, sans vostre aide, je n'y aurois jamais sceu aspirer. Au reste j'espere que c'aura esté pour la derniere fois que vous aurai donné tant de peine, et en attendant qu'il vous plaira m'emploier en autre chose, où je puisse vous temoigner ma recognaissance, je demeureray » cet.

Has litteras Hugenius incluserat aliis Colvio scriptis, hujusque indolis :

» Ce fust le 29e du mois passé que je receus la vostre avec la platine de fer, de la part de mr. Kalthoff, que mon frere a sollicité durant mon voyage de France. Et avons esté occupé ces 10 jours à luy donner la figure parfaitte, travaillans sans relache, jusques à ce que l'ayons obtenue. Cette grande assiduité a esté cause que j'ay differé de vous faire responce, et de vous remercier de la peine, qu'il vous a plu prendre, en me procurant une chose que j'avois tant desirée. J'espere vous montrer bientost un bel effet de mes lunettes, en vous envoyant le systeme de Saturne, que j'ay dessein de mettre au jour, et qui enseignera la cause de toutes les differentes apparitions de cette planete ; pourquoy tantost elle paroit avec deux anses aux costés, tantost comme traversée d'un aissieu, comme l'année passée, et quelquefois toute ronde comme à present. Je vous prie de donner l'enclose a mr. Kalthoff et de me croire toujours, cet. »

23). *Kalthovium monentem.* Fecit hoc, interveniente Colvio, ad quem litteras dedit e quibus verba descripsimus in Oratione h. l. invenienda.

24). *Videre mihi videor Auzoutum.* Ne haec Orationis meae verba fide careant, nonnullis ea testimoniis firmare atque stabilire haud erit incongruum. Chr. sc. Hugenius altera vice Parisios petiit mense Oct. a°. 1660; ibique 8°. Jan. insequentis variis viris doctis, Goudericke, Petito, Carcavyo, d'Elbenio, Thevenoto, qui apud Auzoutum convenerant, methodum suam lentes conficiendi explicuit. Ea opportunitate variorum telescopiorum pericula facta sunt; sed quo successu latet. Neque etiam verosimile est tum temporis Hugenium lentes suas secum habuisse; quod inde conjicio, quoniam, cum mense Aprili 1661 Parisiis Londinum venisset, ibique tubum opticum 35 pedum explorasset, sequentia de hoc instrumento annotavit : « la lunette de 35 pieds ne me sembla pas bien distincte comme la mienne de 22, dont je promis de faire venir les verres. » — Lentes has suas, in insequenti in Galliam Angliamque excursu, non domi manere sivit, sed secum asportavit, ut, si opportunitas daretur, eas cum aliorum lentibus compararet. Hanc opportunitatem mox Parisiis nactus est et periculi facti eventum his verbis fratri suo Constantino communicavit;

Digitized by Google

« Pour satisfaire à ce que vous me demandez touchant les verres de lunettes, je vous diray que, peu de jours après que je fus arrivé en cette ville, on decerna une assemblée générale de lunetterie chez m^r. Auzout, où se trouverent messieurs d'Espagnet, Petit, Monconis avec son telescope à 5 verres de Divini de 10 pieds, et quantité de spectateurs. Il y avoit des écritaux attachez contre le clocher de St. Paul, distant du logis de m^r. Auzout (que le frere Louis vous pourra montrer sur la carte) environ 180 toises ou 1080 pieds de France. Mais le tems étant obscur, et y ayant quelques cheminées fumantes entre deux, cela fit grand tort aux lunettes, et empescha qu'on ne pust lire des petits caracteres, qui marquent le mieux la bonté des verres, mais seulement des capitales d'environ cette grandeur A B, lesquelles pourtant on lisoit aussy bien avec mon verre de 22 pieds, qu'avec celuy de m^r. d'Espagnet de 32. Et la cause en est, parce que ny son verre, ny l'ouverture, qu'il luy donnoit, n'estoit pas plus grande que celle du mien. On lisoit aussy les mesmes characteres avec un verre fait par m^r. Auzout, lequel il confessa pourtant lui mesme n'estre pas si bon que le mien. Tant que nous n'aurons fait des essais plus justes et avec meilleure commodité je ne scaurois vous bien dire, ce que valent les verres de ces messieurs. Cependant je vous puis asseurer, quant à ceux de m^r. d'Espagnette, qu'ils sont merveilleusement bien travaillez et polis, en sorte qu'on n'y remarque pas le moindre poinct ny egratigneure. »

25). *Gallis eam explicuit et Anglis.* Supra n. 24 vidimus Christianum Gallis doctis suam exposuisse methodum lentes formandi telescopicas. At Anglos etiam hanc suam artem docuit; quae ita ipsis satisfecisse videtur, ut eam imitari non dubitaverint. Quod collegimus tum ex his Hugenii verbis in diario itineris jam supra citato inveniundis: « 23 Apr. 1661. Disné en ma chambre. Après diner s'assemblerent chez moy m^r. Morre (Moray), mil. Brouncker, s^r. P. Neale, d^r. Wallis, m^r. Roock, m^r. Wren, d^r. Godart. Parlames de la maniere de former les verres et je leur dis ma methode. Resolus les cas qu'ils me proposerent touchant les rencontres de deux spheres. » Tum ex sequentibus Morayi verbis 21 Junii 1661 ad Christianum datis:

« M^r. le chevalier Neil a la soin de la telescopie. Il n'a pas encore essayé de faire les verres à votre mode. Il travaille premierement à faire quelques uns à la main, sans l'aide d'un baston, pour voir j'usqu'où l'addresse de la main seule peut aller, et il a fait un nouveau verre ou deux, qui sont encore meilleurs que celuy que vous avez veu de 35 pieds, mais dans une semaine ou deux nous pretendons nous servir de vostre mode, et construire des outils pour de plus grandes spheres que nous n'avons encore jusqu'icy. M^rs. Brouncker et Neile ont desja veu ce que vous me mandez touchant vos nouvelles observations de Saturne, et sont autant ravis de ce que vous en dites, comme satisfaits de vostre candeur et ingenuité. »

26). *Summo semper honore habuit.* Ut quanti fecerit Hugenius lentes Campaninas appareat, satis erit, si e multis, quos excitare possem, locis, duos sequentes hic exhibuerim. « La beauté de la lunette campanique chez l'abbé Charles consiste en ce qu'elle est sans

Digitized by Google

couleurs d'iris, et qu'on ne s'aperçoit point des points des verres oculaires; que l'ouverture est passablement grande, sans que pourtant les objets paroissent aucunement courbez, et qu'enfin elle represente très distinctement, à cause de la bonté de ses verres. Il n'y a rien là, direz vous, qui ne soit aussy dans la vostre, et mesme vostre ouverture est plus grande aussy bien que la multiplication à proportion de la longueur, mais en recompense les choses paroissent dans leur situation naturelle avec la Campanine, et on n'a pas à faire du petit miroir, cet. »

..... « La lunette de Campani merite asseurement que l'on travaille pour en avoir une pareille, et je n'aurois pas esté si longtems sans m'y appliquer, si j'en eusse eu la commodité, c'est à dire un lieu pour travailler et une forme pour le verre objectif. »

27). *Artis praxin colere - nec animus fert.* Christianus 18 Sept. 1682, inter alia haec ad Constantinum scripsit: « je ne scaurois me resoudre à travailler que vous n'y soyez, du moins à ces grands verres. »

28). *Vitri inopia.* Quam difficile fuerit Christiano vitrum sibi comparare lentibus telescopicis formandis aptum, e paucis exemplis patebit. Sunt autem haec exempla desumta e literis Christiani ad Constantinum:

« Paris, 3 Sept. 1667. J'admire assez que l'humeur de la lunetterie vous soit revenue, sans que vous ayez aucun compagnon au travail, car je trouve que cela aide beaucoup; et si j'en avois eu icy, je crois que j'aurois aussy fait quelque chose, quoique le verre epais pour faire des grands objectifs me manque encore. Nous irons voir cet après-diner celui qu'on a preparé de nouveau dans la verrerie du faubourg St. Antoine. Wallestein le Danois, que vous connoissez, mande de Venise que là mesme il n'a sceu avoir du verre comme il souhaitte. »

« Paris, 4 Nov. 1667. Icy nous n'avons pas encore pu avoir du verre epais pour cet usage, et je viens de donner un nouveau mémoire pour ceux de la verrerie, qui mettront un pot exprès dans leur fourneau avec de la matiere extresmement rafinée. »

» Paris, 6 Jan. 1668. Quoique nous fassions, nous ne scaurions encore avoir du bon verre. La derniere glace qu'on m'a apporté est d'une matiere bien blanche et presque sans points, mais si pleine de veines que je n'en vis jamais tant; ce qui me fait douter si ce ne sont pas des choses incompatibles d'estre sans points et sans veines, c'est à dire que la maniere d'oster les uns sert à faire naitre les autres. Si une fois nous reussirons, je vous fourniray du verre pour objectifs et oculaires tant que vous voudrez. »

« Paris, 20 April 1668. .... Je crois qu'avec le tems il me faudra un petit tour comme le vostre, c'est-à-dire quand je me mettray tout de bon à travailler aux verres, ce que j'ay toujours differé en attendant du bon verre pour des grands objectifs. Mais après quantité d'essais l'on n'a encore rien fait qui vaille. Les dernieres glaces estoyent très claires et avec peu de points, mais toutes pleines de veines. »

« A Viry, 8 Oct. 1669. Pour ce qui est du travail des verres que j'ay fait faire, je n'en ay

Digitized by Google

pas entrepris qui excedassent 45 pieds, et de ceux-là je n'en suis pas encore satisfait, mais la faute vient de la matiere, ce que je puis voir clairement par la reflexion des verres a certaines distances; de sorte que j'estudie maintenant à corriger cette inégalité de verre, et je pense avoir trouvé moyen pour cela. J'en feray l'essay à Paris dans la glacerie, et si j'en puis venir à bout, je ne doute pas que je ne reussisse après aux lunettes de toute sorte de longueur. Mais sans cela je ne voudrois pas vous conseiller d'y rien entreprendre.

29). *Nolo arti operam dare, nisi* cet. Haec verba inveniuntur in Christiani ad Constantinum epistola d. 9 Sept. 1667, cujus hoc est initium :

« Pour la lunetterie je n'y ay pas renoncé, mais comme je n'ay pas voulu m'appliquer à ce metier que pour faire quelque chose d'extraordinaire, c'est-à-dire des verres de 8 pouces ou plus de diametre, j'ay toujours attendu qu'on me preparast du verre pour cela, dans la verrerie qu'on a establie icy pour les glaces de miroir. On m'a fait voir de tems en tems plusieurs échantillons de verre épais, mais la matière ne me satisfait nullement, n'estant ny assez transparente dans cette épaisseur, ny exempte de veines, et outre cela fort pleine de bulles; de sorte qu'il sera nécessaire de donner commission à quelqu'un pour en faire à Venise. Si ce n'estoit l'effort qu'il faut faire en polissant, les glaces ordinaires pourrayent suffire, mais c'est en cela qu'elles souffrent trop, et vous scavez que tout est gasté si elles se plient. Je ne vois pas pourquoi vous voudriez de platines plus grandes que les miennes, dont je me sers en y faisant un rebord, car le grand verre que j'y ay travaillé est parfaitement bien doucy, et ne scauroit l'estre mieux au jugement de tous les experts qui l'ont veu. Le S^r. Spinosa, à ce que je vois, n'a pas encore guerres approfondi cette matiere, et vous estes peu charitable de le laisser ainsy dans l'erreur. »

30). *Constantinus - vel absente fratre.* — Cum Christianus a^o. 1655 in Galliam migrasset, Constantinus diligenter tubis opticis usus est ut coelum exploraret; tum etiam operam dedit ut frater post reditum suum novam inveniret fabricandi materiam. Quod ut probemus, unam alteramve epistolam hic describere juvat.

« A la Haye le 22 de Sept. 1655. J'espere que cette lettre vous trouvera encore à Paris. Pour ce qui est des lunettes, j'ay à vous dire que je n'ay fait aucune nouvelle observation. Mars n'est point en estat de pouvoir estre veu avec des cornes, comme vous pouvez scavoir, et pour Venus, je ne l'ay veu de longtems, à cause qu'il a fait longtems mauvais tems. Pour Jupiter je l'ay consideré souvent le soir vers les 10 ou 11 heures, et parfois à 4 heures du matin, et j'ay remarqué que, le regardant le soir, je n'ay jamais pu apercevoir la ligne qui est au milieu, parceque les vapeurs de la terre m'en empeschoyent, mais le matin quand il estoit plus vertical, je la voyois très distinctement. Quand je scauray positivement que vous estes à Paris, je vous envoyeray un dessein de mon observation. Il y a au milieu ou un peu plus vers le hault une ligne claire, et des deux costés de celle-là deux autres noires qui la bornent. Pain-et-vin a envoyé des eschantillons de verre qui sont bien beaux, mais non pas meilleurs pour-

Digitized by Google

tant que nos meilleurs verres convexes. Vous le verrez à vostre retour. Je n'ay point eu de reponse de Colvius ny de Kalthoven. Aussy ne scais je pas s'il sera fort expedient que je travaille avant que vous soyez de retour. En bien des choses je commence à ressentir l'incommodité de vostre absence. Van Wyck tourne luy mesme des formes de fer, à ce que mon Pere m'a dit. Je l'iray voir au premier jour. Ce ne sera rien qui vaille.

« A la Haye ce 28 Oct. 1655. . . . J'ay receu ces jours passés une lettre du S'. Kalthoven, qui me prie d'avoir patience encore pour 15 jours, me promettant que dès qu'il sera de retour d'un petit voyage qu'il est obligé de faire, sa premiere besogne sera de nous faire une forme comme je l'ay demandée. Je ne me haste pas, par ce que je ne crois pas que je fasse rien avant que vous soyez de retour. » cet.

Neque in subsequentibus Christiani peregrinationibus Constantini ardor imminutus est. Sic, cum ad fratrem suum Londini versantem lentes majoris telescopii mitteret, haec inter alia scripsit :

« J'espere qu'à leur arrivée vous trouverez qu'ils n'ont rien paty, et qu'ils serviront à rabattre la bonne opinion que les Anglois ont des leurs; après quoy je crois qu'ils seront les meilleurs de toute l'Europe. Avant hier encore je vis Jupiter de ma fenestre avec ma grande lunette très bien. Je n'ay que faire de vous faire souvenir de tout examiner qui concerne ce metier, sachant bien que vous n'aurez rien oublié. Surtout ne manquez pas de scavoir où ils trouvent du bon verre pour leurs lunettes et si on ne pourra pas lier quelque commerce pour en avoir par de là. » cet.

Et quam primum Christianus Parisiis venisset, ita eum Constantinus adortus est: (epistola est 12 Aprilis 1663). « En premier lieu gratulor adventum; et maintenant que vous y estes il me tarde fort d'apprendre comment vous trouverez ces grandes lunettes travaillées dans ces grandes platines de Petit et d'Espaignet. Il vous plaise de m'en donner avis. » Et 26 April. 1663 ita pergit: « J'espere que vous aurez veu depuis vostre derniere le S'. Espagnet. Il me tarde extremement de scavoir au vray ce que valent ses verres. Si vous les trouvez tous en perfection, dont je doute toujours beaucoup, vous pouriez tascher de scavoir de ses secrets en trocq pour les nostres, que je ne scaurois croire moindres que les siens. »

Porro, 6 Dec. 1663. » Vous me parlez de lunettes de 55 pieds comme si ce n'estoit rien. Si elles sont bonnes à proportion, elles devroyent faire de grands effets. Mandez moy ce que l'on en decouvre de plus que par les nostres, et en peu de mots quelle forme de doucir et de polir ils ont; si vous scavez maintenant ce secret que d'Espagnet menageoit avec tant de précaution, il y a quelque tems. »

Denique, 1 Maji 1664. « Je vous ay demandé souvent, sans y avoir jamais eu de reponces, si avec ces bonnes et longues lunettes d'approche que vous dites estre à Paris, ils decouvrent des choses, que nous ne voyons pas des nostres, dans la lune ou les planetes.

31). *Ipse suo marte* cet. Ut probemus quae hoc loco de Constantini industria, absente fratre suo, diximus, ex ingenti documentorum numero, pauca quaedam excerpemus, omnia

Digitized by Google

ea petita e litteris, quas Christianus Parisiis ad Constantinum scripsit. Facilitatis gratia temporis ordinem in hac descriptione servabimus.

« Ce 4 Nov. 1667. Je suis fort aise du bon succes de vostre travail en teles- et microscopie, et j'en prosne icy parmy les amateurs, qui disent qu'il faudroit que vous envoyassiez une campanine de vostre façon, pour la confronter avec la veritable, et ils ont raison. » cet.

» Ce 6 Janv. 1668. J'approuve fort vostre maniere de rajuster les formes de cuivre avec la pierre esponce. Seulement je serois d'avis que vous attacheriez ces morceaux plustost sur un rond de pierre ou brique, que sur du bois, parceque celuy-cy se tourmente par le changement de tems et change de figure.

« Ce 7 d'Avr. 1668. Il est vray que je ne vous ay pas encore duement remercié de l'objectif que vous m'avez envoyé, quoyque j'aye mandé il y a longtems dans une lettre à mon Pere qu'il m'avoit esté rendu et que je l'avois trouvé très bon. J'ay apperceu manifestement que ma lunette, où je l'ay employé, au lieu de l'objectif qu'avoit fait le jeune Menard, en est devenue meilleure. Mais les oculaires n'estant pas trop bons, cela fait que la campanine originelle chez l'abbé Charles est toujours plus parfaite, tant pour la distinction que pour la grandeur de l'ouverture du diaphragme. Si vous estiez bien asseuré que meester Cornelis ne vous polit pas vos oculaires à la manière ordinaire, au lieu de celle que vous luy avez montrée, je vous prierois de lui en commander trois pour moi. Mais toujours s'obligera-t-il bien de les faire aussy bons que les vostres. Je crois qu'il est bon de les travailler un peu plus grand qu'il ne faut, afin qu'ils soient bons j'usqu'aux bords estant rognez. » cet.

« Ce 20 Avril 1668. Ma campanine à cette heure, qu'elle est toute garnie de vos verres, est très excellente et je ne crois pas qu'elle cede à celle de l'abbé Charles, quoyque je ne l'aye pas encore comparée. »

« Ce 11 May 1668. Voicy les mesures de la vraye campanine, avec laquelle j'ay esté comparer la mienne, qui, à cause de la grande ouverture que j'avois donnée à l'objectif, estoit beaucoup plus claire, mais en recompense un peu moins distincte que l'autre, qui en effet est un peu sombre mais pourtant très excellente. J'ay du depuis retrecis mon ouverture, mais cela fait paroitre les points des oculaires qui en sont assez chargez. » — « Quand vous aurez le loisir, faites moi un petit desseing de vostre tour avec les mesures et remarques necessaires, afin que j'en fasse faire un de mesme. »

« Ce 1 de Juin 1668. Je crois pourtant que vos verres sont aussy bien travaillés que les siens (ceux de Campani) et peut-estre vostre maniere ne cede non plus à la sienne, mais il est certain, et feu Ménard l'avouait, que la distinction de la campanine estait extraordinaire, et ne croyoit pas que de plusieurs verres Campani en eust pu former un de pareille bonté. » — « Vostre microscope est à peu près de la forme de ceux qu'on fait en Angleterre, sinon que la proportion des verres est encore un peu différente, car ils font l'oculaire encore plus convexe, si je m'en souviens bien, et vous le pouvez voir dans celui que mon Pere y a achepté, qui au reste n'estoit nullement bon, à cause de son obscurité. Mais si vous n'appercevez plus de points dans le vostre, je ne serois point d'avis d'y mettre un oculaire plus convexe, parce que cela augmente beaucoup l'obscurité. »

Digitized by Google

» Ce 22 de Juillet 1668. Ne manqnez pas, je vous prie, à m'achever ce petit verre que vous scavés; s'il ne fait pas l'effet qu'il devroit, on scaura du moins que c'est en vain de tenter ce moyen, et mesme celuy des verres hyperboliques, dont on n'est pas dèsabusé j'usqu'à présent. Je vous rends graces de la description exacte de vostre tour, que je crois parfait en toutes manieres, et comprends très bien toute la fabrique, si non que je ne scay à quoy peut servir d'elever parfois le Leyspaen plus haut qu'à l'ordinaire. Je ne vous prieray pas encore d'y faire travailler pour moy, parceque je veu l'avoir sans qu'il m'en couste rien, comme estant une chose necessaire à la fabrique dès verres, qu'il faudra entreprendre bientost, si la matiere qu'on prépare se trouve bonne. » —

Addere his documentis unum alterumve lubet ex eorum genere, quae directius artem microscopicam a Constantino aeque ac Christiano promotam spectant. Incipiam ab epistola a Constantino e Campo Vilvordensi 30 Julii 1678 scriptam.

« Mardy dernier j'ay esté obligé de partir pour l'armée avant que les lettres fussent venues, tellement que je ne scay encore rien touchant votre voyage. Cependant je dois vous dire que depuis vostre depart j'ay encore travaillé à la microscopie, et me suis servy avec succes des methodes que je vay vous dire pour faire les petits verres. Pour les detascher du fer sans les pouvoir perdre, ce qui m'arrivoit très souvent, j'ay fait dans un petit morceau de cuivre un creux de la maniere que j'ay marqué icy, et faisant entrer la petite boule dans ce creux, je mets dessus une plaque de nostre cuivre à enchasser, et la tenant pressée dessus, je retire la queue du fil d'archal, qui laisse la petite boule dans le creux sans que cela manque. Pour la mettre ensuite dans le petit trou, qu'on fait avec l'aiguille, avec securité et sans pouvoir la perdre, j'ay fait un petit cercle de deux escalings, que je mets à l'entour depuis du petit trou, et, y ayant mis la petite boule, je l'adjuste ensuitte dans le trou sans apprehension de le voir echapper. — Finalement m'estant souvenu de ce que vous m'aviez dit que Hartsoeker avoit proposé, j'ay essayé de faire les petites boules en mouillant un peu le bout du petit fer, et en y attachant par ce moyen un morceau de verre sans me servir de ce fil de verre que nous faisions à la lampe, et j'ay trouvé que cela alloit bien mieux que de l'autre manière, et que, par ce moyen, je pouvois faire ces boules aussy petites que je voulois, mesme bien plus qu'il n'est necessaire, et qu'elles tenoient moins fort au dit fer et par consequent estoyent plus ronds, comme en effet j'en ay fait de la petitesse de vostre moindre et qui me semblent representer plus distinctement. Voila ce que j'ay creu devoir vous communiquer des effets de ma diligence. Dites moy comment l'invention a esté receue de vos curieux. »

Huic Christianus sequentem in modum respondit Parisiis 11 Aug. 1678.

» Vous aurez appris le succes de mon voyage par les lettres de mon Pere, c'est pourquoy je ne vous en diray rien davantage, et vous repondray sans plus de preface à ce que vous me mandez touchant la microscopie. J'ay essayé de mesme que vous de faire les petites boules d'un morceau de verre à la maniere de Hartsoeker, ce qui m'a aussy fort bien reussy, et je crois que les boules en sont meilleures, parceque le verre n'a pas esté tortillé ni refondu à la lampe. On trouve cette methode dans le deuxiesme volume des voyages de Monconis,

Digitized by Google

qui dit que M^r. Hudde s'en servoit, mais il faisoit des boules de la grosseur d'un petit pois, et ne s'est jamais avisé de regarder les objets contre le jour. Je garde encore de ces boules et un microscope qu'il m'a donné autrefois. Il y a aussy des boules de verre pleines d'esprit de vin, enchassées comme les autres dans du bois. Hartsoeker dit, qu'en prenant du fil d'or, il est encore meilleur que celuy de fer, parcequ'il ne laisse point de tasche noire sur le verre. Mais il faut pourtant qu'il y ait quelqu'inégalité, ce qui m'a fait negliger de l'essayer. J'approuve fort vos nouvelles precautions du petit creux et du cercle, et m'en serviray quand je me mettray à travailler; car jusques icy je n'ay point encore essayé si les boules de la nouvelle manière sont meilleures que les autres. Au reste mes microscopes ont fait grand bruit, et quoique plusieurs d'abord se missent après à en faire, ils n'y ont pas encore sceu reussir. J'ay fait voir le mien à bien des curieux, qui se sont estonnez du grand effet qu'il fait. »

Pergit Christianus in hac ipsa epistola ea referre, quae microscopiis suis observaverit. Haec omnia, quamvis egregia, hic describere longum foret. Abesse tamen non possum quin e litteris paucis multo post (18 Nov. 1678) ad Constantinum datis sequentia hic proferam:

« Une chose inanimée, qui est belle à voir c'est la poussiere, qui est sur les ailes de grands papillons, lorsqu'elle en est detaschée. J'en ay veu de differentes formes, mais elles sont outre cela ouvragées et rayées à merveille. »

Haec enim probant Christianus suis microscopiis ea videre potuisse objecta, quae vel hodie visu difficiliora habentur.

32). *Hartsoekerum audiunt.* 6 Sept. 1685. Chr. Hugenius inter alia fratri Constantino seqq. scripsit: « Je reçeus hier une lettre de M^r. du Hamel, Secretaire de l'Academie des Sciences, où il me mande qu'il y a là un jeune Hollandais (je ne puis deviner qui ce peut estre) qui a fait un verre objectif de 330 pieds, que l'on a essayé dans la galerie du Louvre *et trouvé assez bon au gré de m^r. Cassini, et meilleur qu'il n'avoit paru la premiere fois*; que cela a fait un peu de peine au s^r. Borelli, qui craint que ce ne soit son secret. Je crois qu'il pretend que c'est moy qui le luy ai communiqué. J'ay envie de demander à m^r. Cassini plus ample information touchant ce verre, combien il est grand et avec quelle ouverture et quel poli, comme aussy le nom de celuy qui l'a fait. Je crois plutost que ce sera de la maniere de Borelli que de la nostre ou de Campani. Au reste ils seront encore fort longtems avant que de faire des observations avec ce verre. » cet.

Insequenti 23 Oct. Christianus ulteriores, quas acceperat de artifice Hollando, notitias cum Constantino communicat: « Je viens de rencontrer icy près dans la rue le S^r. Joubelot, et ne puis differer de vous faire part de ce qu'il m'a appris touchant le jeune Hollandais faiseur de grands telescopes. Vous scaurez donc que c'est le mesme Hartsoeker, qui nous apprit a faire les petites boules pour les microscopes, et qui fist avec moy le voyage de Paris. Estant de retour à Rotterdam, il se maria et devint marchand de vin. Un Anglais son correspondant le trompa et lui fist banqueroute de 200 mille francs, par où estant mal dans ses

Digitized by Google

affaires, il a esté obligé de quitter le pays, et s'en est allé en France, où il demeure au village de Passy près de Paris. C'est donc luy ou sa femme (car elle travaille aussy) qui a fait ce verre de 330 pieds, qui, au dire de Joubelot, est fort bon, quoyque m^r. du Hamel m'ait mandé que Cassini l'avoit jugé assez bon. Il ne scait pas de quel diametre est ce verre; mais il dit que le mesme Hartsoeker en a fait un de 720 pieds, et qui a 18 pouces de diametre, et qu'on le trouve assez bien doucy et assez clair pour un verre de cette grandeur. Il faut de grands bassins, comme vous pouvez juger, et de grandes epaisseurs de verre pour un ouvrage comme celuy-là, de sorte que l'ouvrier doit avoir fait quelque depence, avant que d'en estre venu là. Joubelot dit qu'il l'a cogneu à Rotterdam devant son depart, et qu'il avoit deja commencé alors de travailler. Nous scaurons à quoi aboutiront ces vastes entreprises, et si on se met en estat à Paris pour pouvoir employer seulement ce verre de 330 pieds; car pour l'autre je n'ose pas l'esperer, et j'ay mesme bien de la peine à croire qu'il soit comme il faut. » cet.

33). *At frater ipsi adest fidelis.* Quanto auxilio Christiano fuerit Constantinus, e paucis, quae excitabimus exemplis, satis luculenter patebit. Christianus 19 Febr. 1692 ad Abbatem Gallois inter alia haec scripsit: « Je ne me suis pas encore appliqué à faire des verres pour des grands telescopes, et à chercher la veritable methode de les faire dans la perfection, comme le S^r. Campani, qui n'est pas une petite entreprise; et je n'espererois pas d'en venir à bout, comme je fais, sans l'aide et l'assistance fidelle d'un frere que j'ay, qui aime cette curiosité autant que moy. » Et 13 Dec. 1683 ad Bernardum Fullenium verbis his utitur: « opera mea » (in telescopiis fabricandis) « eo assiduior fuit, quod fratre meo natu majore laboris socio atque hortatore utar, in his praesertim quae ad rem telescopicam spectant, quorum ipsi non exiguum amorem inspiravi. » Atque 31 Aug. 1684 eundem sic alloquitur: « Totum negotium subtilitatis et industriae plenum est, quoniam errores, causaeque eorum, oculos plerumque fugiunt, nec nisi conjectando investigari possunt. Huc spectantia praecepta plurima in commentarios redegi, qui forsan aliquando lumen videbunt. Nondum vero cuiquam copiam facere possum, salva gratia fratris mei, qui pariter mecum hisce incubuit, et innumerorum experimentorum laborem una exantlavit. »

34). *Christiani patientia* cet.) Lentium telescopicarum fabricatio ea imprimis de causa molestissima est, quod minimi, nec tamen negligendi, formae errores vix ac ne vix quidem detegi possint, priusquam ipsa lens perpolita, et integrum opus quasi absolutum sit. Labor iste dies aliquot postulat, quamobrem haud leve est patientiae atque industriae documentum, si Christianum sexties septiesve eandem operationem in eandem lentem repetere videamus. « J'ay trouvé » ita ad fratrem Constantinum 22 Julii 1683 scribit « j'ay trouvé que le dernier verre Anglois, qui vous restoit, est aussi préparé par M^r. Dirk, ce que je n'avois point sceu. Et il semble qu'il ne l'a pas travaillé sur la plaque de fer, mais sur la vieille forme, estant un peu creux. J'ay d'abord commencé à le former, suivant la permission que vous m'avez

Digitized by Google

donnée, ayant trouvé que cet autre maudit verre, que j'avois entre les mains, avoit encore conservé un reste de defaut, qui me l'a fait refaire par six fois. Vous scaurez le succes du nouveau. » Et 10 Augusti insequentis: « Je viens de recevoir la vostre du 9ᵉ. Vous avez fort bien deviné que j'ay differé de repondre à la precedente du 5ᵉ et 3ᵉ, jusques à ce que je puisse vous mander le bon succes du grand verre; ce que pourtant je ne puis faire encore, car vous scaurez que le second costé, qui avoit fait une ovale en formant, a gardé un reste de ce défaut, qui s'est manifesté au poli, en ce qu'il ne l'a pas pris également, mais en long, de mesme que ce verre avorté après la 7ᵉ reprise. J'observay aussy qu'il crioit lorsqu'il estoit remué en ce sens, et non pas autrement, qui est une marque indubitable de fausse figure. Je l'essayay donc à moitié poli de ce costé, et vis qu'il n'estoit point bon et mesme moins que mediocre. Il a fallu se resoudre à le refaire, en quoy j'ay commencé par ce costé notoirement faux, car j'ay beaucoup meilleure opinion de l'autre, quoi qu'il ait pris le poli par les bords premier que par le milieu. » cet.

35). *Constantini ardorem.*) E multis, quae excitare possem exemplis, ut hunc Constantini Hugenii ardorem probem, pauca sequentia, ni fallor, sufficient; omnia petita e variis, quas ad Christianum scripsit litteris:

« 5 Avril. 1682. Selon toutes les apparences vous avez taillé le costé de l'objectif, qui restoit à faire, lundy passé; vous l'avez poly asseurement le jour suivant, et vous ne m'en donnez aucune nouvelle. Vous avez aussy sans doute essayé dans le tuyau le premier verre, et ne vouslez pas que jusqu'à présent j'en sasche rien. Quae isthaec invidia est? Je vous prie de me considerer comme un grand interessé dans la noble manufacture et de ne me pas tenir dans une ignorance si honteuse, surtout à cette heure, que selon les apparences, nous avons encore une semaine à sejourner ici. »

« 24 Mars. 1683. J'attens avec impatience de scavoir comment va le travail, où je suis bien fasché de ne pas avoir de part. »

« 1 Oct. 1685. Voilà bien des vicissitudes dont vous ne m'avez rien fait scavoir, non plus de ce qu'est devenue notre pauvre forme, qui n'a gueres avancé depuis deux mois que je suis hors de la Haye. Comment est ce que vous n'estes pas plus curieux? »

« 11 Mars. 1686. L'on dit toujours que le Prince dans 9 ou 10 jours reviendra à la Haye. Amen! Ainsi soit-il! Cependant les belles soirées, qu'il y a eu depuis mon depart, me font esperer que vous n'aurez pas voulu manquer d'essayer nos objectifs, et j'attends avec impatience que vous m'informiez du succes. »

« 4 Avril 1686. J'ay peur que vous ne vous portez pas bien derechef, parceque vous ne me mandez rien de l'essay de nos verres, pour lequel vous avez eu le plus beau tems du monde. La Lune et Saturne ont esté également beaux à voir, et si ce n'est pas une indisposition qui vous a empesché, il y a un refroidissement pour les choses de l'art, dont je serois fasché, après que nous l'avons mené si avant. »

« 10 Avril. 1686. Le vent, le mal des dents, l'occupation des pendules, tout a conspiré pour

Digitized by Google

empescher mes pauvres verres d'etre essayez. » — « Je vous recommande cependant d'essayer mes objectifs dans Saturne, que l'on voit si bien maintenant. Une demie heure, que vous mettiez à cela, n'empeschera pas les pendules de partir. »

37). *res adversas dolosque.* Spem conceperat Constantinus fore ut Coxius, artifex Londinensis, vitrum posset parare e quo lentes majores conficerentur. Huic igitur, annuente Christiano, negotium mandatur. At eventus non tantum spem fefellit, sed etiam docuit fratres artifici fidem habuisse justo majorem; quippe qui vitri frusta mitteret, prae vulgaribus speciminibus non bonitate sed enormi pretio excellentia.

38). *in mediis hostibus.* Sequens Constantini ad Christianum epistola aliquatenus confirmare potest, quae in hac Orationis parte de Constantini ardore scripsimus. Si cui fortasse audacius nos scripsisse videamur, non multum tamen verbis nostris detrahendum esse confidimus.

« Au Camp de St. Quintyns, Linnike le 3 de Sept. 1693.

Je me suis tiré assez heureusement du malheur de la bataille de Needer-Hespen, ou de Landen, comme l'appellent les François, parceque je trouvay moyen d'entrer a Sout Leeuw, avant que la nouvelle y arrivast, à travers d'une furieuse quantité de monde et de bagage, qui bouchoit le chemin. Un peu de tems après le commandant de ce lieu, ayant sceu la perte de la bataille, et craignant d'estre pris, ou du moins investy, fist fermer les escluses, et inonda les marais autour de la ville, et comme par là il resta peu de chemin pour en pouvoir faire le tour, chascun voulant passer le premier, quantité de chariots tombesrent dans les dits marais autour de la ville, et grande quantité fust pillée; entr'autres un des mulets du Roy, où estoit le meilleur de sa garderobe, le fust aussy, et on n'a recouvré que bien peu de chose de ce dont il estoit chargé. Cependant comme j'ay dit, j'estois passé avant ce desordre avec mon bagage, que j'avois tout entier avec moy, et le fis passer le mesme soir de Leeuwen a Diest, et encore plus avant à un petit village, où je passay la nuit dans ma calesche. Deux jours après nous trouvasmes le Roy, qui avait passé Malines, et se trouve à Eppighem. J'en fus quitte a bon marché, car si j'avois esté pillé aussy, la perte auroit esté considérable. On commence à dire qu'au bout de quinze jours, nous pourions bien quitter l'armée, mais cela depend des evenemens. Il me tarde de voir vostre nouveau tuyau de lunette, mais comme vous en parlez comme s'il estoit tout fait, je m'estonne que vous ne me marquez pas l'effet qu'il fait, ny ce que vous voyez des 5 satellites. Monsieur l'Electeur a une lunette à deux tuyaux, *Telescopium Binoculum*, mais les tuyaux ne sont longs que de deux pieds environ. Cependant on la prone beaucoup, et le Roy m'a dit, qu'à la distance de quatre lieues il avoit distingué l'heure à Bruxelles. Je n'ay pas encore eu occasion de la voir. L'electeur en a payé 40 pistoles, à ce qu'on ma dit. Elle est faite à Paris, mais on ne dit pas par qui. » cet.

39). *telescopia multa et magna.* Singula teleseopia, quae Christianus Constantinusque, sive junctis viribus, sive seorsim fecerunt, hic enumerare, etiamsi accurate fieri posset, longum

Digitized by Google

foret. Suffecerit hic commemorasse catalogum lentium telescopicarum, a Christiano defuncto relictarum, continere, lentibus minoribus exceptis, numerum insignem quinquaginta telescopiorum, dum in Constantini catalogo idem fere numerus invenitur. Quod lentium objectivarum distantiam focalem attinet, haud paucae sunt quae 30, aliae quae 40, 60, 80, 100 pedes superant; quae 170, et 210 pedes attingunt, singulares sunt.

40). *excelluerunt - telescopia.* E Chr. Hugenii diario, in quo observationes annotare solebat astronomicas, praecipue planetarum satellitumque formas, situs, motusque spectantes, unum tantum alterumve excitabo exemplum, sed e quibus facile efficias, lentes, quas fratres, etsi aetate provecti, fecerunt majores, nequaquam virtute aliorum telescopiis cessisse.

» 1672. 6 Aug. hora 11. Saturnus visus cum brachiis nondum perforatis. Linea obscura eodem modo se habebat atque in observ. super. 18 Jul. Comes non apparebat, ut conjunctum Saturno fuisse oporteat, vel prope conjunctum.

Eadem hora. Mars observatus, in cujus disco maculae quaedam, sed tam parum sua obscuritate a ceteris disci partibus distinctae, ut figura earum bene notari non posset. Verum in australi parte, quo loco forsan alter polorum situs est, macula quaedam reliquo disco multo lucidior conspiciebatur, quae ad B. situ everso notata est, quam nec ego, nec alius quisquam, quod sciam, ante animadverterat. Postea Cassino quoque hoc tempore observatam ab ipso didici.

1684. d. Sat. h. $12\frac{1}{2}$. In media ensis Orionis nebula non poterat videri, propter Lunam jam exortam, sed ubi olim tres stellulas inter se proximas telescopio 23 pedum observaveram, nunc quatuor conspiciebam hoc modo dispositas:

Haec visa noviss. ∗ ∗ ∗ ∗

1685. 18°. Febr. Die mercurii. Brachia ut ante fere. -○- *a* ∗ *1* ∗ *2* ∗ *b* ∗ Comes meus 2 et Cassinianus 1 facile conspecti. Videbar mihi etiam in *a* propiorem quandam stellulam percipere, sed plane hoc affirmare non audebam. Ad *b* alia item stellula apparebat; sed cum meo comite clarior esset et ab eo latere, ubi Cassini extimus cerni non solet, fixam fuisse existimo. Observabam lente 61 pedum, fratris Zelemii (i. e. Constantini) manu expolita.

2 Apr. h. 12 noctis. Lentibus meis pedum 61 et 85.

Meus comes cum interiore Cassini facile conspiciebantur, at exterior non comparebat, sed stellula quaedam ut *a*.

a ∗ *1* ∗ -○- *2* ∗

quae fixa, ut puto, fuit, atque eadem forsan, quae die praecedenti pro comite illo habita, quod amplius examinandum. Saturnus certe retrogradus hoc tempore ac 4 scrupula prima quotidie retrorsum incedens.

» 23 Maji 1685, hora $9\frac{1}{2}$. In Jovis zona superiori e tribus macula quaedam ad *a* conspicua, quam numquam ante observaveram, nec quisquam alius, quod sciam. Utebamur lente 85, quam fecerat frater Zelemius.«

Digitized by Google

» 25 Maji, h. $9\frac{1}{2}$. Macula superior nunc hoc positu, puto enim eandem esse post 4 circuitiones et horas circiter octo huc reversam, siquidem 10 fere horis singulae Jovis conversiones fiunt, ut Cassinus comperit.

Possit et nubes esse macula ista, siquidem sequentibus observationibus aliquot non comparuit.«

» 27 Maji 1686, h. 11.... Observabam Jovem telescopio ped. 122. Media zona clarior erat corpore reliquo. In parte superiori (revera inferiori) macula quaedam cernebatur, quae semi-horae spatio circiter ex *a* in *b* transierat. Forsan eadem quae anno superiori 23° et 25° Maji annotata.

Comites bini ab utroque latere adstabant.

Discus Jovis non prorsus rotundus sed latior secundum zonarum ductum apparebat.« (Hunc a forma perfecte rotunda defectum Hugenius jam a° 1685 23 Apr. observaverat.)

» 30 Maji 1686, h. 10. In Jovis orbe umbra satellitis proximi conspecta telescopio meo 122 pedum. Semi horae circ. tempore ex *a* in *b* progrediebatur. Macula, quae in superiori observatione notata est, nunc non apparuit. Reliquorum satellitum duo ad dextram, unus procul ad sinistram. Is vero, cujus umbra cernebatur, ipse non comparebat.«

Haec pauca exempla sufficere arbitror; imprimis cum plenissime confirmentur observationibus, quas dein Poundius, telescopio Hugeniano majori utens, instituit.

41). *recusare noluit.* Res est notissima Societatem Regiam Londinensem possidere aliquot lentes telescopicas majores Hugenianas; nec quisquam fere est, qui dubitet quin harum lentium auctor habendus sit celeberrimus noster Christianus Hugenius, qui etiam vulgo has lentes dictae Societati dono dedisse fertur. Sic apud Delambrium (Hist. de l'Astr. mod. T. II. pag. 550) legimus: « il (Huygens) auroit pu donner à l'Académie des Sciences une des deux grandes lunettes, dont il fit présent à la Société Royale de Londres.» Errant autem qui ita statuunt; nam earum lentium, quas Anglia servat, nullam nec fecit Christianus nec donavit. Hanc rem tenebris quodammodo involutam illustrare conabor, tum publice exhibendo ea testimonia, hanc rem spectantia, et inter documenta Societatis Regiae Londinensis invenienda, quae insigni liberalitate mecum communicavit Cl. Bayley Soc. Astron. Lond. V. P. tum e MSS. Hugenianis ea proferendo quae ista documenta vel confirment vel corrigant.

Primum describam lentes quas possidet Anglia, quod melius me facere non posse arbitror, quam si ipsa Catalogi Instrumentorum Societatis R. L. verba hic proferam:

N°. 22. Huygens's Aërial Telescope:

1. An objectglass of 122 feet focal length, with an eye glass of 6 inches, and original apparatus for adjustment, made by Huygens and presented by him to the Royal Society in 1691.
2. The apparatus for using Huygens's objectglass, constructed by Hooke.

Digitized by Google

3. Additional apparatus, bij D^r. Pound, presented by D^r. Bradley.
4. Ditto by M^r. Cavendish.

23. An objectglass by Huygens of 170 feet focal length. Presented to the Royal Society by Sir Isaac Newton, P. R. S.

24. An objectglass by Huygens, with two eye glasses by Scarlet, for a telescope of 210 feet. Presented by the Rev. Gilbert Burnet M. A. F. R. S. 1724.

Tres igitur lentes objectivas Societas Regia possidet, Hugenii nomine insignes, unam 120 fere pedum cum suo oculari; qua, procul dubio, deinceps Poundius usus est. Hanc lentem Hugenius Societati dedisse dicitur a°. 1691.

Alteram lentem pedum 170, etiam Hugenianam, eidem Societati donavit summus Newtonus.

Tertiam denique lentem, omnium maximam, 210 pedum sc., quam ipsi obtulit Burnetus.

Quod ad priorem harum lentium attinet, alteri ejus superficiei insculptum est:

C. HUYGENS, 4 Jun. 1686;

alteri

Ped. 122.

Alia vero manus addidit haec verba: vitrum praestantissimum. Wm. Derham. Tegitur porro charta crassiori, ejusdem magnitudinis, cui hoc inscriptum est: » 4 June 1686. This object-glass (wch was wrought by the two brothers M^r^. Christian and M^r^. Christopher Huygens), with the eyeglass accompanying it of 6 inches, makes a telescope of 126 feet, as good I believe as any the world affords. The tackle in the box with it, is the very tackle, the two Huygens managed the glass wth Wm. Derham. Ped. 122. Royal Society n°. 22.»

Denique in Diarii Societatis Regiae vol. IX p. 68. sequentia reperiuntur:

December $\frac{20}{30}$ 1691. The President (Sir Robert Southwell K^t^.) in the chair.

The same (D^r^. Hooke) produced before the Society a curious object-glass of a telescope, intended to be given them by M^r^. Hugens. He said it was for a telescope of 120 feet long, to be used without a tube, and its aperture was 8 inches. He forbore to describe the manner of using it, as reserved till M^r^. Hugens himself should be present.

Altera lens 170 pedum, quam Newtonus Societati R. dono dedit, idem nomen eodem litterarum ductu fert sc. » C. Huygens 26 Juny 1686.

Tertia denique 210 pedum a Burneto oblata eadem quoque signatura distincta, confecta est 23 Julii 1686.

Quoad hanc ultimam, inter annotationes Societatis Regiae Lond. seqq. leguntur.

Jan^ry^ the 7th. 1724 $172\frac{4}{5}$. The President in the chair.

M^r^. Hasley of the Temple had leave to be present.

The reverend M^r^. Burnett send the Society by the hands of M^r^. Professor Bradley a present of the glasses belonging to the longest of all M^r^. Hugens's telescopes, being that of 210 feet. The object-glass of this telescope, with that of another, for 170 feet (since bought bij Sir Isaac Newton) are mentioned by M^r^. Hugens in his Cosmotheoros, with a particular encomium, as being not only the largest of the kind, but also the most perfect as to the exactness of figure of any that had ever yet been contrived, and as such they were pre-

Digitized by Google

sented to his brother Constantine Hugens Secretary to King William; of whose executors M^r. Burnett purchased this (which was now presented to the Society) for the sum of 100 L^r.

The Society ordered thanks to be returned to M^r. Burnette for his valuable present.

Exposui, quae circa dictas lentes ex ipsa Anglia ad meam pervenere notitiam. E quibus concludo, 1°. tres lentes objectivas, quippe eodem nomine non tantum, sed eadem, quam vocant, signatura ornatae, eandem habere originem, sive ab eodem Hugenio fuisse confectas. 2°. Harum lentium minorem 120 pedum ab Hugenio, mediam 170 p. a Newtono, maximam 210 p. a Burneto fuisse Societati Regiae oblatam; duasque posteriores, post Hugenii obitum emtione in possessionem venisse tum Isaäci Newtoni, tum Burneti.

Superest ut inquiramus uter Hugeniorum harum lentium auctor fuerit, nec non uter eorum lentem 120 p. Societati R. dono cesserit.

Quam rem ut paucis absolvamus, age! e Manuscriptis nostris ea proferamus, quae vel levissimum dubium, quod ea de re superesse possit, plane tollant. Describamus igitur quae huc pertinent e litteris quas Constantinus (qui cum Guilielmo Rege a°. 1689 in Angliam transierat) ad Christianum misit:

« Kinsington ce 21 Novembre 1690 ..... Stanley me tourmente furieusement pour que je fasse présent à la Société Royale d'un de mes verres de telescopes, et a bien l'effronterie d'oser demander celuy de 210 ou de 160 pieds. Mais je lui ay dit qu'ils seront bien heureux, si je leur en donne un de 120 pieds. Ils veulent faire dresser un mast aussy haut que je voudray dans une basse court de Gresham College. Nous parlerons de tout, quand Dieu aydant je serai là, mais de dire quand ce sera précisement, c'est ce que je ne scaurois; cela dependant des affaires qui sont sur le tapis. » cet.

En trium nostrarum lentium mentio facta, quas Constantinus, quamvis ad fratrem scribens, *suas* vocare (*mes verres*) non dubitat; quodque profecto non fecisset, nisi ipse iis conficiendis praecipuam operam adhibuisset. Nam, quod objici posset, Christianum fortasse has lentes fecisse, easque, quippe eximiae virtutis, carissimo fratri Constantino dono dedisse, id, quamvis ita in loco e diario Societatis R. L. supra citato legatur, nullo tamen nititur fundamento, neque effici potest e Christiani in Cosmotheoreo verbis, (vid. Hugen. Opera Varia p. 698) quibus fratrem suum alloquitur: « Fortasse autem — aliquid novi observare continget, si quis *tuas* tunc lentes, frater optime, ad telescopia pedum 170 et 210 paratas, sideribus applicet, quibus majores formaeque perfectioris nullas hactenus extare arbitror. » Quae verba, nisi omnia nos fallant, mirum in modum nostram de harum lentium auctore sententiam confirmant.

Ceterum in subsequentibus litteris Constantinus hoc negotium ulterius exponit:

« Londres ce 1 de Janvier 1691 .... Je n'ay pas encore donné mon verre de 120 pieds à la Société icy. Doctor Stanley devoit le leur mettre entre les mains, mais depuis nostre retour de Hollande, je ne l'ay veu qu'une fois icy. »

« Whitehall ce 18 de Janv. 1692 ..... J'ay remis à Stanley et Hooke, qui me sont venus voir ensemble, le verre de 122 pieds avec les dependences. La raison pourquoy je l'ay plustost remis entre les mains du dernier que celles d'un autre, est que je le crois le plus

Digitized by Google

propre pour le mettre en usage, comme il m'a promis d'avoir soin de faire et au plustost. Il s'imagine de le pouvoir faire par le moyen de trois poultres longues jointes en haut, et soutenant un mast, qu'il ne seroit pas necessaire de faire si long à beaucoup près que le nostre. Je lui ay recommandé d'en prendre soin, temoignant que nous serions bien aises de voir, qu'on rendist la chose plus aisée qu'elle n'a ésté jusques icy. Cependant on ue s'en fie pas à luy seul. Stanley me mesna avant hier à un disner, où il y avoit 10 ou 11 de la Société Royale, entr'autres S^r. Robert Southwell le President, M^r. Henshaw, D^r. Sloane, personnes de fort bons sens, Sir Patience Ward et autres membres très dignes. M^r. Southwell m'asseura, qu'ils avoient donné ordre pour faire dresser un pole, et qu'il seroit fait au premier jour. Pour Hooke luy-mesme ce n'est pas l'homme à qui je me fierois le plus; Stanley luy-mesme m'asseurant qu'il n'a pas les qualités qu'il faut pour cela, que c'est un homme à faire quelque meschant trait, comme vous pouriez dire, de vendre nostre verre, et en supposant un autre, ou chose semblable. Mais *mon* nom y estant et la longueur marquée de *ma* main, je n'apprehende point qu'il entreprenne cette sorte de choses. » cet.

» Whitehall ce 26 de Janv. 1692. . . . M^r. Haley de la Societé Royale vint avec Fatio et me dit, qu'ils venoyent de me remercier du présent que je luy avois fait; mais qu'ils souhaittoyent de scavoir, si ce n'estoit pas proprement à la Societé que j'avois donné *mon* verre, parceque M^r. Hooke sembloit s'en vouluir rendre maître, et faisoit difficulté de le faire voir à d'autres. Je leurs dis qu'asseurément je l'avois donné à la Societé, à la prière que D^r. Stanley m'en avoit faite à diverses fois. Sur quoy je m'imagine qu'ils l'osteront des mains de cet homme, que l'on me dit estre un drosle fort intéressé, et auquel on ne peut pas trop se fier. Aussy je ne le luy aurois pas remis, si Stanley ne m'eust asseuré qu'il estoit le plus propre pour enseigner la maniere de s'en servir, quoique quelque temps après il me dist aussy qu'il estoit capable de faire quelque mechanceté. » —

Atque haec quidem sufficere videntur ut probemus fuisse Constantinum Hugenium, qui *suum* telescopium 120 pedum Societati Regiae Lond., quo deinceps Poundius usus est, dono dederit; ceterasque, quas docta illa Societas servat lentes Hugenianas, ab aliis acceptas, quippe idem nomen ferentes, eundem habere auctorem. Nam, quamvis Fratres Christianus et Constantinus semper, quantum possent, junctis manibus, artem suam factitarent, ita ut lens, quae ex hac fabrica prodiret, indifferenter alterutri fratrum tribui posset; nihilo tamen minus constat, fratres ipsos lentes suas probe habuisse distinctas; cujus rei plura testimonia inveniuntur supr. n. 40.

42). *Haec ipsa Academia-dives est.* In Academiae Lugduno-Batavae Museo Physico servantur cum aliae Christiani Hugenii reliquiae, tum lentes complures telescopicae, ab ipso fratreque Constantino elaboratae. Inter has quatuor sunt distantiae focalis circiter 120 pedum; tres pedum 85, una pedum 62, duae 43, quatuor 34, una 10 pedum; quibus adjunctae sunt diversae lentes oculares, tam simplices quam compositae. Insignis haec lentium collectio, una cum Christiani automato planetario, addita inventoris effigie, quondam huic Academiae legavit vir amplissimus Royer.

Digitized by Google

ADDITAMENTUM I.

ACTA ET GESTA IN SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

1837 die 16 Septembris. Recitantur literae Curatorum, virorum illustrium, nuntiantes cum de munere Professoris ordinarii et Interpretis Legati Warneriani delato in virum clarissimum HENRICUM ENGELINUM WEYERS, Professorem in Facultate Lit. Hum. et Philos. Theor. extraordinarium; tum ejusdem Facultatis Professorem ordinarium creatum esse virum venerandum et doctissimum, ANTONIUM RUTGERS, Theol. Doctorem et Bredensis Ecclesiae in Agro Groningano V. D. M.

Aliae recitantur Literae Curatorum, quibus significatur virum doctissimum FREDERICUM KAISER, Phil. Nat. et Matheseos Doctorem, et in observatorio astronomico Observatorem, ejusdem observatorii Directorem, astronomiaeque practicae Lectorem creatum esse.

die 22 Sept. Luget Senatus obitum viri clarissimi SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK, in facultate Phil. Natur. et Matheseos Professoris emeriti.

die 29 Sept. Munus auspicatur vir clarissimus ANTONIUS RUTGERS, habita oratione inaugurali: *de Samuelis in populo Israëlitico formando vi saluberrima.*

die 15 Octobris. Literae recitantur viri excellentissimi, qui Regni Belgici res internas pro Rege administrat, Regis nomine nuntiantis Augustissimae Reginae obitum. Rector Magnificus et Seniores invitantur, qui Senatus nomine Regem consolaturi adeant.

1838 die 20 Jan. Rector Magnificus exhibet catalogum hujus Academiae alumnorum, e Regio decreto confectum die 1 Novembris, unde constat numerum civium academicorum tunc fuisse 713.

Designantur candidati apud Regem edendi, e quibus Rector Magnificus in proximum annum decreto Regio constituatur.

Designati sunt V. V. Cl. Cl.

P. HOFMAN PEERLKAMP.
C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
J. R. THORBECKE.
J. CLARISSE.

Digitized by Google

Recitatur decretum Regium, quo statuitur, Astronomiae etiam theoreticae docendae provintiam, petente id viro Cl. Uylenbroek, mandatum esse FREDERICO KAISER, viro doctissimo, cui propterea *Lectoris Astronomiae* titulus datur.

die 7 Febr. Recitatur decretum Regium, quo Rector Magnificus in annum sequentem creatur Vir Cl. PETRUS HOFMAN PEERLKAMP.

Candidati, e quibus in annum sequentem Actuarius constituatur, designati sunt V. V. Cl. Cl.

P. J. UYLENBROEK.
P. HOFMAN PEERLKAMP.
J. R. THORBECKE.
G. SANDIFORT.

die 8 Febr. Rector Magnificus refert, in conventu Curatorum, Rectoris Magnifici et Adsessorum, Senatus Academici actuarium in annum sequentem creatum esse P. J. UYLENBROEK.

Rector Magnificus exhibet catalogum hujus Academiae alumnorum e Regio decreto confectum die 1 Februarii, quo constat numerum civium academicorum tunc fuisse 675.

Refert Rector Magnificus hoc anno in albo academico inscriptos esse cives academicos 103.

Rector Magnificus, cum Senatu et aliis Professoribus in Auditorium majus progressus, e cathedra orationem pronuntiavit: *de Fratribus Christiano et Constantino Hugenio, artis dioptricae cultoribus.* Memoravit deinde rerum Academicarum per annum praeteritum historiam, solemnibusque verbis Magistratu deposito, e cathedra descendit et in subsellia rediit.

Actuarius recitat pro concione decretum Regium de Rectore Magnifico in sequentem annum creato; memorat qui Rectori Magnifico adsessores sint dati, et qui Senatus academici actuarius sit constitutus; edicitque, nomine Senatus, certamen literarium, promulgatis quaestionibus, quas singuli ordines posuissent.

Quibus peractis, Professores novum Rectorem Magnificum in Senaculum deduxerunt.

Digitized by Google

ADDITAMENTUM II.

SCRIPTA

V. CL. SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK.

S. SPEYERT VAN DER EYK Oratio de vi Matheseos sublimioris, quae cernitur in Physica, Astronomia aliisque disciplinis et artibus perficiendis, habita d. 8 Oct. 1796, cum ordinariam Praelectoris Matheseos sublimioris et Physices provinciam in Acad. Lugd. Bat. auspicaretur. — Lugd. Bat. apud P. Delfos A. et J. Honkoop 1797.

S. SPEYERT VAN DER EYK Oratio de Studio Hydraulices in primis in nostra Republica excolenda, publice habita d. 18 Nov. 1797, cum extraordinariam Matheseos sublimioris et Physices professionem in Acad. Lugd. Bat. auspicaretur.

Institutiones Physicae, in usum Auditorum digestae a S. Sp. van der Eyk, A. L. M. et Phil. Doct. Math. Sublim. et Phys. Prof. Ord. — Lugd. Bat. apud P. Delfos, 1800.

Verhandeling over de beginselen der differentiaal- en integraal-rekening, door S. Sp. v. d. Eyk. Leyden by P. Delfos en Zoon, 1803.

SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK Poëmata. Lugd. Bat. 1805.

SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK Poëma de Ingenii humani praestantia et sagacitate in variis artibus ac disciplinis, maxime in Mathematicis, Physicis atque Astronomicis conspicua. — Lugd. Bat. apud Haak et Socios, 1808. Exstat etiam hujus Poematis versio Belgica sub titulo:

Over de voortreffelijkheid en schranderheid van het menschelijk verstand in onderscheidene kunsten en wetenschappen, voornamelijk blijkbaar in de wis-, natuur- en sterrekunde.

Digitized by Google

SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK Carmen de Natura. Lugd. Bat. apud S. et J. Luchtmans, Academiae Typographos, 1810.

SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK Oratio, cum summum Academiae Magistratum iterum deponeret 8 Febr. 1818. Carmen de Nihilo, nobis penitus cognito in rerum natura; sive de arctis, qui humanae quarumvis rerum cognitioni positi sunt, limitibus.

De Phaenomenis electromagneticis nonnulla edidit V. Cl. in diario dicto Algemeene Konst- en Letterbode, et quidem in a^i. 1821 n°. 20 et 21, et a^i. 1822 n°. 15, 16, 17.

SIMONIS SPEYERT VAN DER EYK Poëmata de Deo et in laudem Geometriae. Harlemi apud V. Loosjes 1826.

Digitized by Google

ADDITAMENTUM III.

INCREMENTA MUSEI NUMMARII
UNIVERSITATIS LUGDUNO-BATAVAE,
PETRO IOANNE UYLENBROEK
RECTORE MAGNIFICO.
1837 — 1838.

Museum auctum est hoc anno tum coëmtis nummis, tum donatis.

Coëmti sunt magnus numerus nummorum medii quod dicitur aevi, Gelriae, Cliviae, Juliaci et Montium, Saxoniae, aliarum regionum, plerumque Germanicarum. Nummi aliquot duplarii in his permutati sunt cum nummis Danicis, ope Doctissimi P. J. BECKER, eruditi Dani, in his regionibus studiorum causa commorantis.

Publica auctoritate accesserunt:

Ex auctoritate Virorum Amplissimorum Academiae Curatorum, undecim nummi veteres Graeci et Romani, quorum duo argentei, una cum M. M. S. S. Orientalibus coëmti a P. SICHIO, Consulis mercatorii munere fungente, atque ex urbe Aleppo huc allati.

Ex auctoritate Viri Nobilissimi Ministri Rerum Internarum exemplum argenteum nummi percussi in memoriam canalis Hollandiae Septentrionalis, regiis auspiciis perfecti anno 1824.

Ex auctoritate Viri Nobilissimi Ministri Rerum Externarum, nummi, aenei plerique:

a. Regionum in *Europa:*
Magnae Britanniae, Daniae, Borussiae, Bavariae, Austriae, Sardiniae,

Digitized by Google

Graeciae, Ditionis Summi Pontificis Romani, Magnorum Ducatuum Badensis et Nassavii, Civitatis Francofurtensis. Praeterea omnes nummi Turcici dicti *Argentei* et Thalerus perrarus Principis ab Hohenzollern-Hechingen.

b. In *Asia:*
Nummi aenei Syriae.

c. In *Africa:*
Nummi Aegypti tam aenei quam argentei.

d. In *America:*
Nummi Reipublicae Foederatae Americae Septentrionalis, item Imperii Brasileae aenei.

Privatorum donationibus accesserunt sequentia:

Nobilissimus CLIFFORD COCQ VAN BREUGEL, Consulis nomine Mercatorum Neerlandicorum negotia in ditione Tripolitana in Africa curans, dedit nummos argenteos et aeneos illius ditionis.

Ornatissimus JOANNES VAN HEUKELOM, Phil. Stud. in Universitate Lugduno-Batava, sex nummos patrios, *legpenningen* dictos.

Spectatissimus G. VAN ORDEN, Scabinus (Wethouder) pimarius Civitatis Zaandamensis, qui Museum superioribus annis jam multis nummis ditaverat, praeterito dedit duos argenteos, *rupiam* alterum, alterum dimidiam ejus nummi partem; duos nummos aeneos Javanenses, *bonken* dictos; aliquot nummulos Transisalanicos, in perfodiendis moeniis Urbis Zwollanae repertos; tandem aliquot nummos patriae historiae illustrandae inservientes, quos vulgo *legpenningen* vocamus.

Nobilissimus Baro SCHIMMELPENNINCK VAN DER OIJE, Res Neerlandicas Legati nomine Carlsruhae in Magno Ducatu Badensi curans, Museo donavit Nummum maximi moduli deauratum, in nuptias Ludovici XII, Franciae Regis; nummos

Digitized by Google

aliquot memoriales (medailles) Suecicos, tam priorum ejus regionis Principum, quam praesentis Regis; duos nummos argenteos Danicos; tandem ectypa permulta nummorum.

Clarissimus G. L. MAHNE, Literas Humaniores in hac Universitate docens, dono dedit duos nummos argenteos Helveticos, qui olim fuere penes DANIELEM WYTTENBACHIUM, Academiae nostrae lumen; alter eorum est *Praemium diligentiae*, quod in Gymnasio Bernensi puer meruerat Vir Celeberrimus; praeterea nummum argenteum in memoriam conditae anno 1817 Universitatis Gandavensis.

Consultissimus MOENS VAN BLOYS, Zirizeae habitans, dono misit nummum argenteum in memoriam inaugurati Gulielmi IV, Arausiae Principis, Vlissingae et Verae a°. 1750.

Doctissimus PHIL. FRID. VON SIEBOLDT, dedit nummum elegantissimum, percussum Vindobonae in memoriam primi Jubilaei Secularis Aedium Bibliothecae celeberrimae illius Metropolis; item duos nummos ferreos Japanenses, in Europa perraros.

Peritissimus nummorum Sculptor Trajectinus J. P. SCHOUBERG, Museo donavit:

a. Nummum instituti anno 1814 Senatus Veteranorum in Universitate Rheno-Trajectina;

b. Nummum in memoriam expeditionis militaris in Belgium, dictae decem dierum, anno 1831;

c. Nummos quibus eodem anno 1831 donati sunt Studiosi Leidenses et Groningani, qui pro patria militaverant.

Spectatissimus REEMANN, Burgimagister qui dicitur pagi Phalzdorf in Borussia, dedit aliquot nummos aeneos Austriacos et Germanicos.

Ornatissimus G. BOONZAIJER, Tabellio Gorinchemensis, dono misit tredecim

Digitized by Google

nummos patrios aeneos, *legpenningen* dictos; item generosi juvenes J. P. T. CAU, J. U. Cand. et A. H. HARTMAN DRABBE, Lit. Hum. et Juris Cand., uterque hujus Academiae alumnus, museo donaverunt aliquot nummos ejusdem generis.

Ornatissimus A. BINKHORST, Juris Studiosus in Universitate Heidelbergensi, dedit nummum argenteum Austriacum.

Tandem Nobilissimus J. VAN DAM D. W. Filius, Roterodami, dedit multos nummos Romanos, quorum plerique tamen valde sunt detriti.

Aliquot millia nummorum variarum aetatum et populorum, hoc anno, benevolentia Amplissimorum Academiae Curatorum, Numismatices studiosis sub vitro spectanda posita sunt, insigni Scientiae Artisque emolumento.

P. O. VAN DER CHIJS.

Digitized by Google

ANTONII RUTGERS

ORATIO

DE

SAMUELIS IN POPULO ISRAELITICO FORMANDO VI SALUBERRIMA,

PUBLICE HABITA DIE XXIX SEPTEMBRIS MDCCCXXXVII

QUUM PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM PROFESSIONEM IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA AUSPICARETUR.

H

Digitized by Google

Digitized by Google

CURATORES ACADEMIAE LEIDENSIS, QUIQUE HUIC COLLEGIO AB ACTIS ES, VIRI AMPLISSIMI, NOBILISSIMI.

RECTOR MAGNIFICE.

QUI AUT REMP. ADMINISTRATIS, AUT IN HAC URBE JUS DICITIS CIVIUMQUE NEGOTIIS CURANDIS PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI, INTEGERRIMI.

QUARUMVIS ARTIUM ET DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI.

LITERARUM S. S. INTERPRETES, VIRI PLURIMUM VENERANDI, FACUNDISSIMI.

ARTIUM MAGISTRI ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI, CONSULTISSIMI.

Digitized by Google

CIVIUM ACADEMICORUM LECTISSIMA CONCIO, JUVÈNES NOBILISSIMI, EXOPTATISSIMI.

QUOTQUOT PRAETER HOS ADESTIS, VIRI SUO QUIQUE LOCO CONSPICUI.

AUDITORES HUMANISSIMI.

Digitized by Google

Si quae unquam fuit gens A. A.! cujus ingenium et fata accuratam mereri videantur attentionem, Israeliticae certe genti communi veluti consensu eam summo semper jure tribuendam esse censuerunt, quicunque aut humanitatis et religionis inquirendae studio ducebantur aut Divinae providentiae rationem ac modum perscrutari voluerunt. Quae enim est natio, cujus origo sit Israelitica clarior et nobilior, cujus aut nascentis et florentis, aut decrescentis et vel dilaceratae atque ubique sparsae ingenium atque indoles sit Israelitica constantior cujusque in genus humanum merita sint evidentiora atque majora. Cumque moderante Dei providentia unius Dei cognitionem et cultum solus conservaverit populus Israeliticus, cujus e medio divinitus prodiit Christiana religio, verae pietatis, veritatis et humanitatis sanctissima mater, non profecto fieri potuit, quin plurimorum oculi mentesque in illum se converterint populum, quem a Deo singulari prorsus favore beari viderunt et intellexerunt plerique.

Nec tamen scio, an nullus unquam exstiterit populus, de cujus ingenio moribusque magis diversa et discrepantia lata sint judicia. Alii enim ejus censores injusti potius, quam aequi judices vocandi in ejus errores et vitia unice fere intenti vituperatione illum prosequuntur infensissimo. Hisce judicibus omnis haec natio, paucos si excipias melioris notae viros, perditissima fere fuit, nec nisi ob multifaria scelera notanda. Quodnam enim, inquiunt, fuit unquam scelus quodve flagitium tam dirum atque inhumanum, ut ab Israelitis non fuerit inventum aut denuo saepiusque patratum? Vel quid a populo exspectes, cujus principes laudatissimi, Moses, Davides, Hiskias, alii, non minus pietate et religionis scilicet zelo, quam crudelitate et perfidia sint insignes? Cujus proceres et principes pravis superstitionibus fraudique turpissimae tam diligentem dent operam, ut nulla non aetas hisce vitiis fuerit inquinata. Cujus denique ordines omnes injustitiae et intemperantiae, libidini et pravis cupiditatibus ita indulgeant, ut ipsi Israelitae sint indicio, quam ferrea egerint fronte, qui religionem horum scelerum matrem aut nutricem Deo sanctissimo adscribere mendaciter ausi sunt hujus

Digitized by Google

gentis proceres et sacerdotes. Multo autem ab illa diversam alii proferunt hujus gentis imaginem, quos ad Dei erga hunc populum curam attendere maxime libuit quique in praestantissimorum praecipue virorum indolem inquisiverunt. Ab his ergo Hebraeorum gens haud dubie reliquis anteponitur omnibus. Quidquid laude dignum dixerint Israelitae vel egerint, id omne ab illis exponitur, explicatur, collaudatur. Pietatis et virtutis specimina, quae sanequam in Hebraeis inveniuntur plurima, ab illis conquiruntur claraque collocantur in luce. Quorum tamen haud pauci, iniquius ac durius tractati populi partes ita suscipiunt, ut simul omnes Israelitarum errores omniaque eorum vitia et peccata excusent et obtegant et quibuscunque possint armis illorum auctores tueri et defendere conentur. Scilicet non viderunt *isti*, vituperatoris injusti personam illum agere, qui quaecunque altioris ingenii et morum integritatis exstent specimina luculenta, elevare studeat aut obfuscari. Parum *hi* intellexerunt, non minus religioni illum nocere quam virtuti, qui populi laudator perpetuus, turpium actionum excusatorem se praebeat et pravorum hominum patronum.

Equidem A. A. utrumque disceptantium agmen veri, quod in medio situm est, partem suscepisse defendendam habeo certissimum atque indubitatum. Sunt enim plurima in Hebraeorum historia facinora, quae vituperatione, odio et vero exsecratione jure habentur dignissima; sunt quoque plurima egregia facta magna cum laude et veneratione merito suspicienda. Hinc crudelitas atrox et saevitia inhumana omnium oculos mentesque repellunt, illinc amicitiae, lenitatis et humanitatis exempla gravissima animum alliciunt et jucundissimo quodam sensu demulcent. Hinc externorum Deorum cultus cum atrocitate aut libidine conjunctus Hebraeos meliora edoctos, scelera vero atque impuritatem probantes et appetentes, ostendit hominum nequissimos, illinc attrahimur multorum pietate non fucata et cum justitia morumque integritate conjuncta. Etenim ut nulla unquam gens ad verum Deum pie sancteque et ex animo colendum Hebraea aptior fuit, ita nulla ad superstitionem omnemque pravitatem avide appetendam seduloque perficiendam magis fuit composita aut pronior. Eo enim ingenio quum fuerint veteres Hebraei, ut animi vi et vigore, sensuum et affectuum vehementia hujusque indolis mira constantia quam maxime uterentur, hinc factum est ut iniqui vituperatores, non minus quam nimii laudatores, continuam, illi turpium, hi optimorum factorum seriem in aciem

Digitized by Google

est qui nesciat, quantam vim et efficacitatem cum universe parentum, tum praecipue matrum indoles habere soleat in liberorum ingenio constituendo et conformando? Religionis praesertim sensum atque ad religionem veluti inclinationem et proclivitatem, quoties a matribus hereditario quasi jure accipiant filii, quis est ingeniorum spectator, quin saepius observaverit? Quodsi ad animum mentemque ad religionem praeparandum haud parum valere solet parentum alto religionis sensu imbutorum ingenium; si ad pietatem virtutemque colendam plurimum momenti recte habere dicuntur parentum pietate ac virtute illustrium exempla; si, quisquis virtutis et pietatis ducitur studio habet, etsi non quod glorietur, tamen quod gratuletur sibi, si natum esse et educatum contigerit parentibus piis et cum ingenii tum mentis dotibus conspicuis, Samueli profecto beatissima contigit, Deo moderante, et faustissima sors, quem excepere nascentem parentes honestissimi et iis omnibus instructissimi, quae ad excitandum praeceptis et exemplis animum et firmandum ingenium plurimum faciunt. Puero etiam Samueli nihil admodum defuit earum facultatum, quibus via ad laudem ingenio moribusque comparandam plana redditur ac facilis. Institutio Pontificis, parentum exemplum, ministerium in templo continuum et vero in primis quod vitam suam Deo novit consecratam, haec, inquam, omnia indolis ejus praestantiam explicuerunt et animi pietatem confirmaverunt. Praesertim denique Divina curavit benignitas, ne tenera ejus aetas vitiorum inquinaretur labe: piorumque parentum filius integerrimus sanctam in nequissimorum hominum consortio agens perpetuo vitam imaginem nobis praebet pueri et adolescentis Divino olim spiritu imbuendi. Illum igitur juvenem, Dei rerumque divinarum contemtum summa cum indignatione conspicientem zeloque honoris Divini purissimo flagrantem, prophetam constituere dignatus est Deus. Ejus committitur ori, quaecunque Deus peculiari ratione populo Israelitico patefacere decrevit. Ab ejus divina divinitus proferentis ore pendent omnes, qui pietati student veraeque religioni. Illum intuentur omnes, quibus veri Dei cultus est cordi. Illum luculento favoris divini testimonio comprobatum omnibusque commendatum omnis suspicit populus et pro meritis summa prosequitur reverentia et veneratione.

Qualis quum fuerit ante susceptum publicum, quo deinceps inclaruit, principis munus, dici vix potest quantam ejus vita privata habuerit vim in coaevorum ingenio formando. Exemplo enim suo populum incitavit, ut eodem

Digitized by Google

producere potuerint. Nam quod de singulis hominibus, idem valere existimamus de universis populis, quod, quo majore polleant animi mentisque robore ac vi et sensuum atque affectuum vehementia, eo meliores futuri sint, si quidquid verum, bonum, pulchrum est ament et quaerant, eo vero sequiores, si in scelera et flagitia totos sese dederint. In eo autem veneramur Divinam erga populum Israeliticum et vero genus humanum benignitatem curamque benevolam, quod nulla omnino aetate huic genti defuerint viri pietate atque integritate conspicui et ad populum instituendum a Deo ipso facti, praeparati, conformati. Inter quos a Divino numine in populi hujus summum emolumentum excitatos viros egregios, nescio an non principe post Mosen loco collocandus sit judicum nobilissimus et ultimus *Samuel*, *de cujus in populo Israelitico formando vi saluberrima* dicere institui. Qui cum unus post Mosen principis, sacerdotis et prophetae munera tenuerit conjuncta et ita eadem gesserit, ut summa veneratione dignissimus videatur, de eo verba facturus, materiam ex disciplina deinceps tradenda mihi elegisse videor, quae et viribus meis quodammodo aequa, neque a persona mea aut muneris ratione alienior videatur; cujusque adeo gravitas atque utilitas compensare possit, quae plurima novo Oratori deesse mihi sum conscius.

Cumque adeo triplici sub adspectu Samuelis merita collocare constituerim, prouti internam pietatem genti suae commendavit, tribuum omnium conjunctionem et veluti confusionem perfecit veraeque religionis instituendae dedit exemplum egregium, vos A. A., ut faciles et benignas mihi aures praebeatis et benevolentia et favore mediocritati meae subvenire meumque sublevare dignemini timorem, enixe rogo et obsecro.

Quae in omnibus magnis viris efformandis conspicitur Dei cura atque institutio tantum abest, ut in Samuelis vita desideretur, ut potius prae plurimis magni nominis viris divina moderante providentia natus et excultus esse videatur. Parentum pietate conspicuorum filius exoptatissimus ab incunabulis inde Deo fuit consecratus ejusque cultui et ministerio a parentibus dicatus. Matrem habuit religionis patriaeque in paucis amantissimam eamque ingenio instructam a natura egregio nec mediocriter exculto. In paucis illa numeratur poetriis Hebraeis inque nobilissimis Israelitarum foeminis non minus veteris aevi testimonia, quam ipsius monumenta eam jure collocaverunt. Et quis

Digitized by Google

pietatis et integritatis ducerentur studio, quo se viderent agitatum et perpetuo flagrantem. Quodsi senis venerandi et ab omnibus honorati *vox* plurimum valere est dicenda ad virtutem aliorum animis commendandam et quasi instillandam, adolescentis et juvenis viri *exemplo* profecto eandem et potius multo majorem vim ad pietatem et virtutem commendandam summo jure tribuere nobis videmur.

Inprimis autem illo tempore istiusmodi pii integrique viri indiguisse videntur Hebraei. Praeterquam enim quod adjacentium gentium idololatria viros a natura graviores superstitionis vi, leviores sensuum illecebris a Dei veri cultu saepissime avocaret, ipsorum sacerdotum Jehovae ministerium sine verecundia et virtute peragentium exemplum non potuit non permultis praebere causam ansamve deserendi avita sacra. Quando enim plurimis semper placere solet cultus externus pietate destitutus et virtute, nunquam non sacerdotum avaritia morumque turpitudo veri justique sensui fuit exitiosa. Qui quidem sensus si sopore obtegitur aut vitiorum vi oppressus obmutescit, quis ibi locus est aut morum emendationi aut verae pietati? Hanc autem tunc fuisse Hebraeorum conditionem pontificis docet inertia, innuit populi silentium et ipsorum sacerdotum nequissimorum in populo honor et continua dignitas luculenter ostendunt. Cultus erat Dei, sed cultus sine veritate; ceremoniis Deum venerabantur, non animo; sacrificiis Illi placere studebant, non vitae sanctitate et integritate. Quem quidem Deo indignissimum errorem juvenis adhuc Samuel non minus verbis, quam exemplo suo refutare studuit et confringere. Ita verae religionis, quae pietate et virtute constat, sensum, quo ipse pollebat altissimo et purissimo, in populo tantum non deperditum haud parum restituisse est existimandus. In puerum et juvenem praeclarum omnis populus oculos intendit mentemque. Ex ejus gravitate et innocentia, pietate et virtute didicerunt multi Deum pio rectoque prosequi cultu, didicerunt plurimi quidquid verum est et justum et Deo dignum, etsi nondum palam sequi, tamen et probare et laude prosequi debita. Ita vita sua civium judicium acuendo ingeniumque informando privatus adhuc effecit, ut quondam rerum potitus agere sibi licuerit et actionum suarum fructus laetissimos videre.

Quae cum ita sint A. A. eccui videbimur nimium dixisse, si illius viri, qui juvenis verbis et exemplo docuit pietatem sine virtute esse nullam, qui veri justique sensum si non deperditum attamen sopore et caligine

Digitized by Google

obtectum in populo restituit, si illius vim dicimus in civibus suis formandis saluberrimam?

Et vero juventuti respondit virilis aetas nec respondit tantum, sed coronam ei imposuit magnificam. Qualem se fore juvenis promittit, talem et vero exspectatione majorem se praestitit vir factus et ad summam dignitatem merito suo evectus. Principe autem loco laudanda est sapientia ejus egregia, qua post plura secula primus populum Israeliticum conjunxit et unus, si Salomonem excipias, eundem conjunctum tenuit, subsecuti splendoris gentis Hebraeae auctor et fundator egregius. In qua omnium tribuum confusione non minus certe populi saluti, quam Dei cum Israelitis consilio videtur satisfecisse. Quemadmodum enim Christianae religionis auctori divino proposita fuit universi generis humani per communem religionem conjunctio et mutua caritas, ita Hebraeam gentem per unionem arctissimam et mutuam caritatem Deus ad sui cultum perducere voluit et incitare. Cum enim inter sese uniti Israelitae et ab aliarum gentium consortio separati idololatriae ansa carituri forent multiplici, eo sanequam constantius et diligentius in Dei recto perseverare debuissent cultu, quo uberiores hinc collegissent fructus quoque majorem inde fuissent experti beatitudinem. Et vero nullo non tempore illorum discordia quaevis in religionis quoque vertit detrimentum.

Ad hanc igitur conjunctionem quum a natura veluti impellerentur, eandem naturae proclivitatem singulari cura et continua institutione Deus voluit confirmare, ut adeo edocti quanto se favore prosequatur Numen supremum et bona sua videntes, dignitatis suae sibi conscii, reliquarum gentium connubium et consortium inter se juncti spernerent ac fastidirent. Vix tamen ullos fructus protulit ad Samuelis usque aetatem Divina cura et institutio. Aliarum tribuum alia ingenia et studia, commoda et momenta alia, continua aemulatio et cum exteris gentibus commercium et connubium in causis fuerunt apertissimis, quae rei communis studium comminerent et communi nocerent saluti. Inprimis vero per procerum suas rationes publicae omnium saluti anteponentium exiguum unitatis studium et summam Sacerdotum Levitarumque inertiam in plures quasi gentes per plura secula divisi fuerunt Israelitae, quarum quaeque sua tantum quaerebat commoda reip. salutis prorsus oblita. Desideratur ergo post devictam Josua duce terram Cananaeam, desideratur prorsus Israelitarum conjunctio atque unitas. Qui

Digitized by Google

judices ante Samuelem populo fuere praepositi, nonnullarum tantum tribuum tenuerunt imperium. Alio tempore aliae tribus, nunquam omnes simul cum exteris nationibus gesserunt bella: et quas nunquam una acie conjunctas hosti reperimus oppositas, eaedem saepius inter se summa cum saevitia et acrimonia decertaverunt, nec victis parcentes, nec post victoriam foeminis puerisque. Non ergo miramur a parvis saepe finitimis gentibus victos esse Hebraeos eosque saepissime ab iis opprimi, quos facillime sibi subjecissent, si vires conjungere libuisset. Quod vero nulla res secunda aut adversa et ne dirissima quidem calamitas per tria secula efficere potuit; quod origo communis et natura suasere frustra; quod lege Mosaica nequidquam fuerat inculcatum et populo pervicacissimo imperatum, id Samuel tentavit, constituit et perfecit. Populum omnem primus ille conjunxit et unus omnium, quamdiu regnavit, tenuit conjunctissimum.

Quod cum dicimus, non profecto existimamus illum solum populi mutavisse ingenium et sentiendi rationem et adeo solum illum Dei perfecisse consilium. Viros enim magnos omnes, quibus gentem suam excolendi et emendandi consilium fuit et propositum, omnes spes sua fefellit, nisi populi ingenium et animi quasi propensio quodammodo cum iis consentiret. Plurimi certe experti sunt frustra meliora et altiora praedicari et commendari, ubi meliora non desiderantur. At ubi populus ipse malorum optat et sperat elevationem, ubi beatioris conditionis desiderium in civitate vivit et viget, ubi plurimae undique voces rerum flagitant immutationem et emendationem, ibi magnorum virorum, populi consilium videntium ipsumque populum ad altiora ducentium, studium brevissimo quidem tempore constituere solet et perficere, quae unquam adfore antea vix quisquam credidisset aut speravisset. Felicissimis autem hac ex parte temporibus Samueli vivere licuit. Ex inertiae et ignaviae sopore et rudissima conditione Hebraei, judice Elio Samuelis decessore, expergiscere tandem inceperant et simul quodammodo mitescere. In communi cultu externo saltem gentis pars haud exigua unionis vinculum quoddam invenerat et ex variis tribubus, haud pauci eodem religionis cultu copulati hostibus se opponere et acie decernere post longam ignavae servitutis periodum primum fuerant ausi. Quos tum quidem spes sua fefellit, qui tamen spe sua non exciderunt. Communis enim omnium tribuum calamitas commune peperit libertatis et salutis desiderium. Omnium servitus omnes adegit, ut

Digitized by Google

ad Deum verum unum salutis auctorem manus et oculos verterent supplices. Discordiae damna omnibus perspicua concordiae praestantiam luculentius ostendebant et in populo regis, sub quo concordia uniti viverent, desiderium, etsi nondum adeo commune aut continuum, quam deinceps factum est non semel tamen sese ostendit aut levioribus saltem manifestavit indiciis. Quibus omnibus si jungas veri justique sensum et religionis amorem a Samuele privato in populo quodammodo restitutos, opportuna omnia videmus praeclaro divinoque consilio, quod in summum populi emolumentum ille exsequi et perficere voluit.

Qualis quum fuerit Hebraeorum conditio, videte A. A! quam sapienter et divino propheta dignum se gesserit Samuel. Simulac ad judicis gravissimum munus obeundum se adcinxerit ille, primum omnium idolorum cultum populo interdixit prorsus. Et in eo quidem reliqui acquieverant judices, quicunque religionis avitae studio agebantur; non tamen in eo substitit Samuel. Qui cum probe perspiceret nullum esse sine pietate cultus divini pretium, cumque novisset, quam parum hominum ingenia aut animi vires emendentur et confirmentur externo Numinis cultu, populum suum ad poenitentiam et animi resipiscentiam quam maxime incitavit. Quae quidem ejus verba cum illam in populum haberent efficacitatem, ut idololatriae et peccatorum suorum vere eos poeniteret, tum demum animi contriti et resipiscentiae apertissima conspiciens indicia populo sese ducem praebuit et principem. Namque novit religionis vim, quae nulla est si solo cultu constet, esse maximam in formandis hominibus, si ex animo proficiscatur pio ac sincero. Tum demum victoriae futurae et libertatis civium suorum est certissimus et, quod conjunctionis ille jacere voluit fundamentum, religione posita, futuram praevidit si minus gloriam, certe Hebraeorum statum optime compositum. Ita populi ad Dei cultum reversi princeps factus per religionem semper eundem unitum habuit, quem per religionem conjunxerat. Quotannis terram Israeliticam peragrando pluribus in locis lites diremit et remp. administravit, sed iis tantum quae Dei cultui ab aevo erant dicata. Ita quidem omnes suas actiones publicas per religionem reddidit sanctas et religioni, quae conjunctionis Hebraeorum erat unum et firmissimum fulcrum honorem suum reddidit suamque dignitatem.

Videte ergo A. A. quem successum habuerint Samuelis in populo conjungendo conamina. Qui ad Samuelem usque vix libertatem ipsi conservare

Digitized by Google

potuerant Israelitae, qui saepissime tributum solvere aut hostibus servire fuerant coacti, nunc conjuncti amissa recuperant: Philistaei vincuntur; multa his adimitur regio gentesque Cananaeae iis tributa solventes dominos jam salutant indignabundi, quos vincere et dilacerare consueverant et contemtu prosequi plurimo. Patriam ita omnem liberando et quamdiu regnavit confirmando subsecuti splendoris et gloriae Samuel fuit auctor praestantissimus.

Memoranda denique est Samuelis publica privataque institutio religionis, per quam prophetarum et doctorum subsecutorum et vero omnium recentiorum doctor egregius fuit.

Tristissima fuit a Gideone ad Samuelem instituti Mosaici sors et conditio. Revelata quidem aderat doctrina de Deo purissima, quam tamen populus audire et accipere recusaverat prorsus. Nempe non e populi ingenio prodiit religio Mosaica, neque populi moribus aptata hominumque sensibus grata cupiditati qualicunque adulari voluit et placere, sed a Deo profecta corruptos restituere populi mores, nimiam sensuum vehementiam reprimere, praejudicatas emendare opiniones et gentis ingenium atque indolem conformare et emendare, istud legis divinae divinum consilium fuit. Nim im tamen distitit divina institutio a populi corruptissimi ingenio servili, quam ut continuo eam ex animo accipere eique obedire potuerit. Ejus religionis altum sensum non magis percipere potuit, quam ad Dei altissimi adtingere purissimam ideam. Hinc nunquam universus populus, raro pauci altioris ingenii viri praeclari ejus senserant atque intellexerant dignitatem et praestantiam. Barbarie prima exui debuit populus, ut huic sese traderet religioni et sanctam illius legem observantia et obsequio prosequeretur sincero. Et vero duce ei opus erat et moderatore, qui, quae Mosis instituisset, intelligeret ipse et sentiret ageretque; qui et auctoritate esset instructus et practico qui dicitur sensu, ut legem divinam populo redderet acceptam et ejus quasi infunderet ingenio. Cujusmodi virum quum ante Samuelem non vidisset Hebraeorum gens, hinc Dei summi inscitia tristis, neglectus continuus, cultus inanis, quippe externo fere constans actu et idolis saepius quam uni vero Deo oblatus; hinc corruptissimi mores, ut in rudissimo exspectes populo, quem adfectuum saepissime male ordinatorum vehementia a legis sanctissimae observantia reddidit alieniorem. Viri igitur quum indigeret Hebraeorum gens, qui religionis Mosaicae aedificium tandem collapsum ac pene obrutum restitueret cultuique honorem,

Digitized by Google

legibus vim et auctoritatem compararet, in Samuele omnia invenit, quae sacrorum restauratorem atque egregium pietatis et integritatis emendatorem in populo rudiore constituere possint. Neque admodum difficulter ille divinitus olim tradita sacra, quorum agebatur veneratione, populo commendavit et legis moralis, cujus studio flagrabat, obsequium civibus suis reddidit gratum atque acceptum. Est enim magnis et praeclarissimis viris hoc a natura fere concessum, ut ingenii sui robore et vigore in hominum vulgus vim exerceant permagnam; ut multo major soleat esse dignitatis atque auctoritatis efficacitas, quam vel argumentorum praestantia aut ipsius veritatis momentum. Istiusmodi ergo auctoritate gavisus est prae reliquis Hebraeis Samuel, quem purior religionis notitia, continuum pietatis studium et virtutis atque integritatis laus tantum non omnibus praeposuerunt Israelitis. Primus enim ille Deum populi Israelitici regem et fautorem singularem populo annuntiavit. Primus ille conjunctis pudoris, metus et amoris momentis est usus. Primus ille Dei majestatem et benignitatem ita praedicavit, ut, idolorum cultu neglecto, plurimi verum Deum reverentia et amore prosequi inciperent. Virtutis denique et verae pietatis nexum aeternum ille primus exposuit civibusque suis reddidit acceptum. Namque integritatis et pietatis studio ipse continuo flagrabat et in omnibus ejus actionibus non minus quam in omni sermone virtutis amor sincerus elucet egregie. Integrum vitae conspicimus puerum, sacrum obeuntem ministerium. Integrum invenimus juvenem, injustitiae et libidinis censorem severum. Integerrimum virum testatur integri senis ad populum oratio valedictoria. Quis enim est qui non legerit, aut sine animi commotione et hujus viri veneratione legerit, ultima ejus in frequentissima populi concione prolata verba? Aut quae unquam reverentia dignior est, quam senis imago, qui coram omni populo, in cujus conspectu et ore semper degit, eundem populum virtutis suae et integritatis reddit testem et judicem? Aut quem non moveat populi universi de unius viri integritate communis atque una sententia? Nulli enim unquam cessit ille. Nec vitiorum illecebrae, nec sensuum atque affectuum vis, neque universi populi vox aut regis auctoritas et ira vel studium a recto pietatis et virtutis tramite Samuelem potuerunt revocare. Aliis quidem egregiis viris nonnumquam contigit a vera virtutis via aberrare, hic ita semper sibi constitit, ut in oriente hominum constantissimorum feracissima terrae parte constantissimi nomen prae plurimis

Digitized by Google

mereri videatur. Quumque adeo virorum doctrina insignium et religionis ac pietatis sensu et studio instructorum magna soleat esse vis in civium suorum animis regundis et conformandis, perpendite A. A., qua auctoritate gavisus fuerit Samuel, cui ea fuit doctrina, pietas et integritas, ut nemo ei anticelluerit quemque praeterea vaticinia eventu comprobata et signa coram omni populo patrata prophetam constituerunt Dei nomine verba facientem Deique spiritu actum.

Qua quomodo usus sit auctoritate vix opus est, ut disertis moneamus verbis. Edocuit non tantum populum et graviter monuit, sed et religionis virtutisque amorem instillare, vitia insectari, errores coarguere desiit nunquam. Ubicunque fuerit solennibus orationibus et placidis colloquiis, quae sit vera religio, quaenam ejus sit vis et efficacia ostendit. Omnium, sive culti sive inculti essent, omnium sibi conciliare studuit mentes et in veram eos dirigere viam; omnium intimos sensus pertractare et commovere gratissimum ipsi semper fuit et acceptissimum. Ita factum est, ut nullius unquam prophetae doctorisve Israelitici orationes eam semper haberent vim, qualem illius, qui numquam ad populum verba fecit, quin et eundem religionis sensum, quo agebatur ipse, auditoribus communicaret.

Qualis quum fuerit ejus in universum populum, rudiorem illum et vitiorum atque idololatriae labe adfectum, efficacia, facile intelligitis A. A. quanta ejus fuerit vis in optimae notae viros et juvenes, quos e toto populo discipulos sibi elegerat, futuros populi doctores et institutores. Conspicere mihi videor praestantissimorum et lectissimorum juvenum oculos auresque in unum illum praeceptorem et vero patrem intentos. Quam ab ejus pendent ore; quantum moventur et incitantur, quanto divini amoris zelo et religionis studio intensissimo aguntur, conteruntur, agitantur. Ubi illum Dei majestatem audiunt praedicantem aut divinam benignitatem exponentem, quis laudi studiove sit modus aut terminus? Ardent animi mentesque nec fervorem, quo aduruntur, possunt continere. In vias simul provolantes, divino veluti furore agitati, palam Dei celebrant laudes numinisque tremendi et benigni praedicant gloriam. Vix verbis sufficiunt linguae, Deoque plenae mentes interna proferre sensa vix ac ne vix quidem possunt.

Ita religioni Mosaicae obsoletae illi et ferme antiquatae dignitatem Samuel reddidit et honorem: quique ab infantia Deo dicatus omnem vitam Illi consecravit conaminum suorum primitias vidit senex, fructus tulere sequentia

Digitized by Google

secula. Ex ejus enim prodierunt schola subsecutae aetatis praestantissimi doctores. Hunc secuti sunt prophetae omnes quodque ulterius progredi ipsis licuit huic egregie praeeunti praesertim est adscribendum. Ille iterum fundamenta jecit aedificii praeclarissimi, quod aedificaverunt prophetae, perfecit Servator noster Sanctissimus.

Sed sentio me istud jam diu agere oportuisse, quod cum hujus diei solennitas, tum vero animus gratus et commotus a me postulant.

Igitur ad Vos me converto Perillustres hujus Academiae Curatores, qui ad hanc cathedram me evocavistis et in locum Venerandi et Celebratissimi Palmii suffecistis. Palmii, inquam, cujus non ego tantum, quod leve sit, suspicio merita, sed cujus eruditio et humanitas maximi saepe fieri solet ab omnibus, quibus nostrae disciplinae sunt cordi. Ingratissimus sim, nisi singularem Vestrum favorem intima mente persentiam et admirer mecum et apud alios praedicem. Et tamen quoties, quam ardua sit res tanto viro probabilem esse successorem, mecum recogito, toties animi laetitia atque hilaritas metu comprimitur et fere oppressa silet. Istud vero me erexit, quod putavi et Vos et neminem statim a me exspectaturos, quae a viris studio et eruditione subactis. Speravi praeterea fore, ut Deus, quem benignissimum semper sum expertus, mihi annos viresque largiatur, quo plurima illa, quae mihi deesse sum conscius, adhuc adsumere mihi liceat et in eximiae hujus Academiae juventutis usum convertere. Vos Viri Amplissimi! existimatote, me omnem illam vitam omnesque, quas Deus concedat, vires in Disciplinarum et vero hujus Academiae emolumentum, Vestri beneficii memorem, perpetuo et lubentissime impensurum.

Vestrum autum venerabilem et tantis meritis illustrem consessum cum respicio Viri Clarissimi! reverentia ac fere rubore suffusus vix ullam satis aptam orationem reperire possum, quae meae erga Vos observantiae declarandae sufficiat. Ne putetis, quaeso, me Vobis me adjuncturum vel eruditione vel auctoritate ex mea opinione parem. Si enim Vestram dignitatem Vestramque doctrinam considero in hac Academia, per omnem patriam et vero Europam omnem nobilitatam, meae mihi tenuitatis conscius ipsam fere loquendi facultatem mihi eripi sentio. Concedite tamen mihi, quaeso, locum inter Vos, hoc pro certo ratoque habentes nihil mihi unquam magis fore in deliciis,

Digitized by Google

quam Vestram mereri existimationem Vestraque amicitia frui. Tibi praesertim Celeb. Clarissi! cujus egregias de Theologia scholas in hac Academia audire mihi contigit, me measque res omnes et commoda mea commendo. Tuam enim ut plurimi faciam benevolentiam fecere innumera, quae in me contulisti, bona et amicitiae specimina illustrissima. Te vero conspiciens filii Tui, Viri Clarissimi, carissimi praeceptoris semper recurrit imago, cui cum omnium, praeter patrem meum, hominum plurimum debeam, liceat, oro, mihi observantia, qua erga Te et Illum constrictum me sentio, erga Te defungi; liceat mihi te tanquam patrem venerari, amare et debita pietate prosequi.

Vobis omnibus, quorum Ordini adjunctus sum, Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Professores, me meaque commoda commendo et tibi inprimis Clar. Weyersi, cujus amicitia et olim, quum summorum virorum Hamakeri et Palmii eramus discipuli, mihi fuit acceptissima et nunc mihi omnium est gratissima. Tu mihi praeivisti me amanter excipiens, ego Te sequar officiose Te colens. Sic communis nos jungat semper amor, conjungant studia communia.

Hamakeri et Palmii nomina celebratissima quum pronuntio, nescio quo horrore insolito et animi perturbatione perfundor. Et Hamakeri quidem celebratissimi et desideratissimi Viri video successorem. Te vero Clarissime Palmi! quomodo compellam aut quo Te digno Te alloquar sermone? Gratulor tibi vegetam adhuc senectutem, gratulor otium, sed profecto multo magis Academiae patriaeque gratularer, si ne senectutis quidem umbra Te attigisset, nec otio illo Tibi opus fuisset. Doctrinae aut eloquentiae aut humanitatis Tuae commemorare gloriam, quid attinet in hoc eruditissimorum virorum, te suspicientium, consessu. Potius Tuam, quam discipulus olim expertus sum flagito benevolentiam Tuique copiam. Concedat Tibi Deus O. M. diu vegetam senectutem, ut adeo te hortatore et monitore meos labores Academiae et literis consecrare mihi liceat.

In Hunc intuemini Juvenes Praestantissimi! qui in hac Academia doctrinis tribuitis operam quibuscunque. Hujus Viri celebratissimi exemplum imitari conamini! Vos in primis, qui Theologiae operam estis daturi aut datis, Orientalibus quoque Literis colendis parati, Hujus exemplo, nulla sit Vobis sine hisce literis vita!

Digitized by Google

Vestrae amicitiae et existimationi ex animo me commendo. Vestra quantum valeam commoda curare et studia adjuvare cum demandati mihi muneris postulat ratio, tum et ipse gestio. Me ergo utimini non doctore, sed commilitone, sed in via quam paulo diutius calcavi comite, sed amico. Ad desideria vestra implenda promptissimum me vobis praestabo amicum beatissimamque meam praedicabo sortem, si veterem hujus Academiae in hoc studiorum genere gloriam, vobis faventibus, conservare mihi liceat et augere.

DIXI.

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

in annum MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII *proposita.*

RECTORE MAGNIFICO

PETRO JOANNE UYLENBROEK.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

P. J. UYLENBROEK Physicam docebit, secundum compendium a Cl. *Biot* editum, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . horâ XII.

Physicam et Astronomiam Mathematicam tradet, iisdem diebus X.

Astronomiae Elementa exponet, die Martis hora vespertina . . VI — VII.

Arithmeticam Universalem sive Algebram explicabit, die Jovis I.

et Veneris . . . . . VIII et I.

G. WYTEWAAL Oeconomiae politicae capita selecta interpretabitur, diebus Martis et Mercurii . . . . . I.

Lectionibus de Agricultura et Re pecuaria vacabit, diebus Martis et Mercurii . . . . . XII.

C. G. C. REINWARDT Chemiam universam theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . XI.

Rei Herbariae fundamenta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . I.

Plantarum Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore matutino, iisdem diebus et Jovis . . . . . VII.

J. DE GELDER tradet Elementa Geometriae, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . VIII.

Trigonometriam rectilineam et sphaericam, ejusque usum in Astronomiâ et Arte navigandi, aliisque Disciplinis, provectioribus discipulis explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . IX.

Digitized by Google

Calculum Differentialem et Integralem, diebus Lunae et Mercurii horâ XII.
Mechanicam Analyticam, diebus Martis et Jovis . . . . . XII.
Theoriam Probabilitatis, quam vocant, et insignem ejus usum in vita civili, tradet: quarum lectionum horas in commodum Auditorum constituet.
Philosophiae Theoreticae et Literarum humaniorum Candidatis Geometriam, et Arithmeticam universalem, initiis repetitis, explicabit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . XI.
Partem Theoreticam et Practicam Paedagogices, ad disciplinas Mathematicas relatae, futuros Gymnasiorum Praeceptores docebit, horis deinceps indicandis.

J. G. S. VAN BREDA Historiam naturalem, Anatome et Physiologia comparata Animalium, praesertim vertebratorum, illustratam, docebit, diebus Jovis et Veneris . . . . . XI.
Geologiam et Historiam Plantarum et Animalium fossilium tradet, diebus Jovis et Veneris . . . . . XII.

J. VAN DER HOEVEN Zoologiam, Anatomen et Physiologiam comparatam docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . XI.
aestivo tempore . . . . . X.
Anthropologiam docebit diebus Martis et Jovis . . . . . I.
Entomologiam, aut aliam Zoologiae partem, explicabit diebus et horis dein indicandis.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiae doctrinam ejusque in artibus usum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . IX.
Pharmacologiam Chymicam docebit diebus Lunae et Mercurii XII.
Chymiam practicam et experimenta instituendi artem docebit die Saturni . . . . . V — VII.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

J. H. VAN DER PALM Amosi Vaticinia interpretabitur, diebus Lunae et Mercurii . . . . . I.
Secundum Regum librum cursoria lectione tractare perget, die Veneris . . . . . I.

Digitized by Google

M. SIEGENBEEK Historiam patriae, secundum compendium sermone Batavo a se edendum, enarrabit, die Mercurii, hora I, et diebus Jovis et Veneris . . . . . X.

Stili bene Belgici praecepta tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . XII.

Eloquentiam Belgicam docebit, ter per hebdomadem, diebus et horis, pro Auditorum commodo, constituendis.

Exercitia oratoria moderabitur, die Saturni . . . . . I.

J. BAKE interpretabitur *Ciceronis* libros III de Oratore, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . IX.

Euripidis Phoenissas, tum *Xenophontis* Symposium, et *Platonis* Eutyphronem; iisdem diebus . . . . . X.

Antiquitates Atticas explicabit, diebus Lunae et Mercurii . . I.

Scholas Paedagogicas continuabit, diebus Martis et Jovis . . . I.

J. NIEUWENHUIS Logicam docebit, diebus Veneris et Saturni . . . IX.

Metaphysicam, diebus Jovis, Veneris et Saturni . . . . . XI.

Scholas Paedagogicas continuare et Historiam Philosophiae, aut Philosophiam moralem explicare paratus est, diebus et horis Auditoribus commodis.

P. HOFMAN PEERLKAMP explicabit Historiam Universalem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . XI.

Fabulas *Plauti* Militem Gloriosum et Trinummum, die Veneris . . . . . X.

G. L. MAHNE Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . XII.

Historiam Artium et Doctrinarum studii apud Romanos exponet, diebus Jovis et Veneris . . . . . XII.

J. M. SCHRANT Patriae Historiam explicabit, diebus Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . I.

Antiquitates Germanicas, Batavicas, Frisicas interpretabitur, diebus Lunae et Martis . . . . . I.

Eloquentiae Historiam Criticam, cum veteris tum recentioris aevi, explicare paratus est, diebus et horis Auditoribus commodis. . . . . .

Digitized by Google

H. E. WEYERS, Prof. Extraord., Sermonis Hebraei elementa tradet, Grammaticâ usus Cl. *Roordae*, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . VIII.

Litteras Arabicas et Syriacas docebit, in illis Cl. *Roordae*, in his Cl. *Hoffmanni* Grammaticam secutus, diebus Martis et Jovis . . . . . I.

et die Veneris . . . . . VIII et IX.

Provectioribus explicare perget *Hamâsae* Carmina cum *Tebrizii* Commentario, die Lunae . . . . . I.

Bar-Hebraei. Chronicon Syriacum, die Mercurii . . . . . I.

Libri Arabici de expugnatione Memphidis et Alexandriae, ab *Hamakero* editi, lectionem absolvet; tum *Bidpaji* Fabulas, a Cl. *Sacyo* editas, interpretabitur, die Veneris . . . . . XI.

J. BAKE et P. HOFMAN PEERLKAMP praeërunt disputandi exercitiis, diebus Mercurii . . . . . III.

FACULTAS MEDICA.

G. SANDIFORT Anatomiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris . . . . . X.

Physiologiam, Anatome comparata illustratam, iisdem diebus IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore . . . III — V.

M. J. MACQUELYN Supellectilem Pharmaceuticam duce Pharmacopaeâ Belgicâ explicare perget, et praecepta Diaetetica tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . VIII.

Doctrinam Indicationum Therapeuticarum docebit, et ad usum praecipuorum Remediorum applicabit, cum exercitatione in Nosocomio Academico, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . IX.

J. C. BROERS Theoriam disciplinae Chirurgicae exponet, singulis diebus . . . . . XII.

Exercitationibus Clinicis, in Nosocomio Academico habendis, vacabit quotidie . . . . . I — III.

Die vero Veneris. . . . . II.

Digitized by Google

Operationibus Chirurgicis hiberno tempore, horis dein indicandis.

Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . horâ X.

Medicinam Forensem, die Veneris . . . . . I.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis . . . . . I.

Medicinam Practicam cum exercitatione in Nosocomio Academico, quotidie . . . . . XI.

Historiam Medicinae tradet, die Veneris . . . . . I.

M. J. MACQUELYN et C. PRUYS VAN DER HOEVEN Disputandi exercitiis praeërunt, die Jovis . . . . . III.

FACULTAS JURIDICA.

H. G. TYDEMAN Encyclopaediam Juris tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . XII.

Oeconomiae Politicae principia, ad patriam nostram applicata, docebit, diebus Lunae et Veneris . . . . . I.

et die Veneris . . . . . XII.

Statisticam Patriae describet, diebus Martis, Mercurii et Jovis I.

Juris Mercatorii Belgici Institutiones tradet, die Veneris, horâ X — XII, vel alia commodiore.

C. J. VAN ASSEN docebit *Justiniani* Institutiones Juris Civilis, diebus Lunae et Mercurii . . . . . IX.

diebus Martis et Jovis . . . . . VIII.

Digestorum Libros, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . X.

et die Saturni . . . . . VIII.

Codicem Juris Civilis Francici, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . . VIII.

Rem judiciariam cum exercitationibus forensibus, Jure Francico et Neerlando, die Martis . . . . . X.

die Jovis . . . . . X et XI.

H. COCK tradet Jus Naturale, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . VIII.

Digitized by Google

Jus Publicum, diebus Lunae, Mercurii et Veneris . . . . . horâ X.
Jus Criminale, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris. IX.
J. R. THORBECKE explicabit Historiam Juris Romani, diebus Martis, Jovis et Veneris . . . . . IX.
Historiam Europae diplomaticam a regno *Ludovici XIV* usque ad Congressum Viennensem, diebus Martis, Mercurii et Jovis. I.
Historiam Politicam et Juris Civilis Patriae nostrae, inde a Pace Monasteriensi, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . XII.
Historicam tradet Legis Fundamentalis, cum aliis nostri aevi Legibus Fundamentalibus comparatae, interpretationem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . XI.

FACULTAS THEOLOGICA.

J. CLARISSE Theologiam Dogmaticam docebit, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . IX.
Theologiam Moralem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . XI.
Theologiam Naturalem tradet, diebus Martis et Jovis . . - . . X.
Encyclopaediam Theologicam secundum suam Epitomen, diebus Lunae et Mercurii exponet aut Homileticae praecepta. . . . X.
Exercitia Oratoriae Sacrae moderabitur, die Lunae . . . . . I.
W. A. VAN HENGEL Narrationes Euangelistarum de JESU, quae dicuntur, *Passione* et *Resurrectione* interpretabitur, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris . . . . . VIII.
Hermeneuticam Literarum Sacrarum tradet, die Mercurii . . VIII.
et Jovis . . . . . IX.
De praecipuis Theologiae Dogmaticae capitibus auditores interrogabit, die Veneris . . . . . IX.
Cum Theologiae studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris. . . . V sqq.
Oratoriae Sacrae exercitationibus praeerit, die Jovis . . . . . I.
N. C. KIST Historiam Ecclesiasticam docebit recentiorem, diebus Lunae, Martis et Mercurii . . . . . XII.
Dogmatum historiae loca selecta tractabit, die Jovis . . . . . XII.
et die Veneris . . . . . XI.

Digitized by Google

Clementis Romani et *Polycarpi* Epistolas, apud Luchtmansios editas, explicabit, die Veneris . . . . . horâ XII.
Exercitia disputandi, de quaestionibus argumenti potissimum Historico-Theologici, moderabitur, die Saturni . . . . . I.
Orationibus Sacris praeërit, die Martis . . . . . I.

G. KNIPPENBERG, Academicus Artis Gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

Bibliotheca Academica, Lectionum tempore, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, ab horâ XII ad III; Feriarum tempore, diebus Mercurii et Saturni, ab horâ XII ad II, unicuique patebit.

Digitized by Google

SERIES
DISSERTATIONUM INAUGURALIUM
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
DEFENSARUM

a d. VIII *Febr.* MDCCCXXXVII *ad d.* VIII *Febr.* MDCCCXXXVIII.

1837 die 14 Febr. Dissertatio Juridica *de Solutionibus* defensa a J. BURMANIA VAN ANDRINGA DE KEMPENAER, Arnhemiensi, pro Doctoratu Juris Romani.

die 20 Febr. Dissertatio Medica, continens *Observationes Pathologicas*, defensa ab ARNOLDO FLORENTIO JOSEPHO INGEN-HOUSZ, Bredano, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

die 14 Martii. Dissertatio Juridica *de Vindicta Privata*, defensa a GERHARDO DAVIDE RIBBIUS, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

die 17 Martii. Dissertatio Juridica *de Testamento publico secundum juris hodierni principia*, defensa ab ALBERTO JOHANNE DE NEEFF VERGROESEN, Bergensi ad Zomam, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

die 18 Martii. Dissertatio Literaria *de varia libertatis Sacrorum in patria nostra conditione, a motis primum ea de re controversiis usque ad Guilielmi Arausiaci mortem*, defensa publice a JOLLE ALBERTO JOLLES, Amstelodamensi, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Literarum Humaniorum Doctoratu, *magna cum laude.*

die 18 Martii. Dissertatio Juridica *de varia libertatis Sacrorum in patria nostra conditione, inde a Guilielmi Arausiaci morte usque ad magnum a.* 1651 *ordinum concessum*, publice defensa a JOLLE ALBERTO JOLLES, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

Digitized by Google

1837 die 10 Aprilis. Dissertatio Medica, *de Colica Saturnina*, defensa a GUILIELMO HENRICO ACRET, Londinensi, pro Doctoratu Medicinae.

die 21 Aprilis. Dissertatio Juridica, *de Compensationibus*, defensa a MAXIMILIANO PHILIPPO ALEXANDRO VAN HÔVELL TOT WESTERVLIER, Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

die 22 Aprilis. Dissertatio Medica *de Aretaeo Medico diagnostico summo*, publice defensa, a PETRO HENRICO SURINGAR, Lingensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

die 8 Maji. Dissertatio Medica continens *Observationes Medico-practicas*, defensa a GUILIANO BALTHASAR VAN DER PEEN, Nordvicensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 11 Maji. Dissertatio Literaria *de Pericle ejusque Reipublicae Athenienseium administratione*, publice defensa a SOLKO WALLE TROMP, Leovardia-Frisio, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Literarum Humaniorum Doctoratu, *magna cum laude.*

die 11 Maji. Dissertatio Juridica *de Probationibus familiae apud Romanos*, publice defensa a SOLKO WALLE TROMP, Leovardia-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

die 11 Maji. Dissertatio Juridica continens *Annotationes ad nonnullorum Ictorum fragmenta*, publice defensa a JOHANNE WYBRANDO TROMP, Lekkuma-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

die 19 Maji. Dissertatio Juridica *de Florentini Icti libris* VI *posterioribus Institutionum*, defensa a MARINO CORNELIO VERVENNE, Goesano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

die 22 Maji. Dissertatio Medica *de Ebrietate*, publice defensa a PETRO PINCOFS, Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 22 Maji. Dissertatio Medica *de Pleuritide*, defensa ab ADRIANO VAN DER WILLIGEN, e pago Hillegom, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 23 Maji. Dissertatio Juridica *de Obligationibus Liberorum erga Parentes*, *Jure Gallico*, defensa a GISBERTO HENRICO GUILIELMO LAURENTIO VAN DORTH TOT MEDLER, Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

Digitized by Google

1837 die 27 Maji. Dissertatio Juridica *de Patria Potestate*, defensa ab H. A. R. VERHEIJEN, e pago Boxmeer, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude*.

die 27 Maji. Dissertatio Juridica *de Petitione remissionis causae ad aliud tribunal*, defensa ab EMMERICO ANTONIO BERCKMANS DE WEERT, Roterodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude*.

die 30 Maji. Dissertatio Juridica *de Obligationibus ex Conventionibus*, defensa a JACOBO STEUR VAN VRYBERGHE DE CONINGH, e pago Maasland Hollando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude*.

die 31 Maji. Dissertatio Juridica *de iis Delictis, quae non nisi ad laesorum querelam vindicantur*, publice defensa a MICHAELE HENRICO GODEFROI, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude*.

die 1 Junii. Dissertatio Juridica *de Artt. II et III Codicis poenalis*, defensa a NICOLAO DUMPEL, Zwollano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

die 3 Junii. Dissertatio Juridica *de Mutationibus quae graviditate producuntur*, defensa publice ab ADRIANO HENRICO JACOBO DE BORDES, Hagano, pro doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude*.

die 3 Junii. Dissertatio Medica *de Systemate uropoietico radiatorum*, defensa publice a GEORGIO PHILIPPO FREDERICO GROSHANS, Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude*.

die 5 Junii. Dissertatio Medica *de Tuberculis praecipue in pulmonibus*, defensa a JOSEPHO COX COX, Anglo, pro Doctoratu Medicinae.

die 7 Junii. Dissertatio Medica *de Encephalitide*, publice defensa a JACOBO JOANNE SAS, Delphensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude*.

die 7 Junii. Dissertatio Medica *de Febre flava*, publice defensa a JACOBO DE JAAGER, ex pago Reeuwijk, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude*.

Digitized by Google

1837 die 9 Junii. Dissertatio Juridica, *de Obligationibus, quae quasi ex delictis oriuntur*, defensa a PAULO JOHANNE ADRIANO VAN DAM, Medioburgo-Zelando, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 14 Junii. Dissertatio Juridica, *de vi Juris non scripti in Codice Civili, tum Francico tum Neerlandico*, defensa a GERHARDO UMBGROVE, Gelro, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 14 Junii. Dissertatio Medica, *de Herba Nicotiana, ejusque usu et abusu, tum in Medicina, tum in vita communi*, defensa a PETRO JACOBO VERHAGEN, ex pago Zuid-Beijerland, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 16 Junii. Dissertatio Literaria, qua continentur: γνωμαὶ κατ' ἐκλογὴν κ. τ. λ. defensa publice a LAURENTIO RYNHARDO BEIJNEN Hagano, pro Philosophiae Theoreticae Magisterio et Literarum Humaniorum Doctoratu, *cum laude.*

die 16 Junii. Dissertatio Juridica, *de Curia Civitatum Imperii Romani*, defensa ab EDUARDO PIAGET, Novocastro-Helveto, pro Doctoratu Juris Romani.

die 17 Junii. Dissertatio Juridica *de Oppositione tertii*, defensa a JANO LOS, ex pago Nieuw-Beijerland, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 17 Junii. Dissertatio Juridica de *Collatione Bonorum*, defensa a CAROLO MATTHEO VAN MEEVERDEN, ex Insula Java, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 19 Junii. Dissertatio Medica, *de Phlebitide*, defensa a NICOLAO TJALLINGS HALBERTSMA, ex pago Grouw Frisio, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

die 20 Junii. Dissertatio Juridica, *de Domicilio*, defensa a JOHANNE HAITSMA MULIER, Rinsumageest-Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 21 Junii. Dissertatio Medica, *de Musices effectu in morbis sanandis*, defensa a RUDOLPHO BENJAMINO VAN DEN BOSCH, Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

Digitized by Google

1837 die 22 Junii. Dissertatio Juridica *continens expositionem requisitorum, quae concurrere debent ut poena mortis furi infligatur*, defensa a MARINO JANO SCHUURBEQUE BOEIJE, Zirizea-Zelando, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 23 Junii. Dissertatio Medica, *de Sanguine*, defensa a GUILIELMO MUNK, ex Devonia Anglo, pro Doctoratu Medicinae.

die 24 Junii. Dissertatio Literaria, *qua continentur quaestiones de Comoedia Aristophanea* defensa a GUILIELMO GERARDO BRILL, Lugduno-Batavo, pro Magisterio Literarum Humaniorum et Philosophiae Theoreticae Doctoratu, *magna cum laude.*

die 24 Junii. Dissertatio Theologica, *de Hussi vita, praesertimque illius condemnati causis*, publice defensa a DIDERICO GERTRUDE VAN DER HORST, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

die 26 Junii. Dissertatio Juridica, *de Cura prodigorum*, defensa ab ANDREA ABRAHAMO ANDRESON, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 26 Junii. Dissertatio Theologica, *de Theodora Antiocheno, Mopsuestiae Episcopo, XII Prophetarum minorum interprete*, publice defensa a GUILIELMO CAROLO HERMAN TOE WATER, Harderoviceno, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

die 29 Junii. Dissertatio Juridica, *de Conditione Servorum apud Romanos* defensa a JANO RICO COUPERUS, India-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani.

die 29 Junii. Dissertatio Juridica, *de Cursu publico, tam apud veteres, quam apud recentiores*, defensa publice pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 30 Junii. Dissertatio Philosophica, *de Insignioribus quibusdam Methodis determinandi orbitas cometarum e tribus observationibus*, defensa ab ADRIANA JEREMIA BOON, Delphensi, pro Magisterio Matheseos et Philosophiae Naturalis Doctoratu, *magna cum laude.*

die 30 Junii. Dissertatio Juridica, *de Tutore subrogato*, defensa a JACOBO JOANNE ALIX, Amstelodamensi, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

Digitized by Google

1837 die 1 Julii. Dissertatio Juridica *de art.* 291 – 294 *Codicis poenalis*, defensa a PAULO THEODORO VAN HOORN, Lugduno-Batavo, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 1 Julii. Dissertatio Medica, *de Febre intermittente perniciosa*, defensa a WERNARDO JOHANNE IMMINK, Amstelodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

die 9 Octobr. Dissertatio Medica, *de Formae pelvis foemineae exploratione*, publice defensa a PETRO ARNOLDO VAN DEN BERG, Roterodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 15 Nov. Dissertatio Medica, *de Voce sana et morbosa*, defensa a JOANNE JOSEPHO VIOTTA, Amstelodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 1 Dec. Dissertatio Juridica, *de aggerum et aquarum Curatorum Collegio, atque de historia tractus de Krimpenerwaard*, defensa ab ANTONIO PAULO WEGGEMAN GULDEMOND e pago Ouderkerk, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 18 Dec. Dissertatio Juridica, *de Jure Superficiei*, defensa a GERARDO WENDELINO THOMA VOGELVANGER, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 18 Dec. Dissertatio Juridica *de Usufructū ex patria potestate*, defensa a GERRHARDO EISSONE JORDENS, Daventriensi, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *magna cum laude.*

die 19 Dec. Dissertatio Medica, *de circulatione sanguinis in foetu et homine adulto*, defensa ab ARIO BRABER, Oudetongensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 20 Dec. Dissertatio Juridica, *de Culpae Praestatione in contractibus*, defensa a JACOBO CAROLO VAN DE KASTEELE, Hagano, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

die 22 Dec. Dissertatio Medica, *de Junipero communi*, defensa ab ADRIANO COOL, Schiedamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 22 Dec. Dissertatio Juridica, *de Crimine desertionis, ejusque poenis, sec. Cod. poenalem militarem Neerlandicum*, defensa a JOANNE ENSCHEDÉ JUN., Harlemensi, pro Doctoratu Juris Romani et hodierni, *cum laude.*

Digitized by Google

1837 die 22 Dec. Dissertatio Medica *de Peritonitide*, defensa a MARINO HENRICO VAN DEINSE, Goesa-Zelando, pro Doctoratu Medicinae.

1838 die 10 Jan. Dissertatio Literaria exhibens ad *Thucydideam belli Peloponnesii Epocham Annotationem*, publice defensa a WALRANDO CORNELIO LUDOVICO CLARISSE, Harderovico-Gelro, pro Literarum Humaniorum Magisterio et Philosophiae theoreticae Doctoratu, *magna cum laude.*

die 18 Jan. Dissertatio Medica, *de Auro*, defensa a JACOBO THIERENS, Amstelodamensi, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

die 20 Jan. Dissertatio Theologica, *de locis Euangelistarum, in quibus Jesus Baptismi ritum subiisse traditur*, publice defensa a JOANNE JACOBO PRINS, e pago Lange-Zwaag Frisio, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

die 30 Jan. Dissertatio Medica, *de Dothinenteria*, defensa a JOANNE FREDERICO VAN HENGEL ex pago Grootebroek, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

Digitized by Google

NUMERUS ADOLESCENTIUM

IN ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE ALBO

INSCRIPTORUM DIE I° DECEMBRIS MDCCCXXXVII.

IN FACULTATE DISCIPLIN. MATHEM. ET PHYSIC.	IN FACULTATE PHIL. THEOR. ET LITT. HUMAN.	IN FACULTATE MEDICA.	IN FACULTATE JURIDICA.	IN FACULTATE THEOLOGICA.
11	42	199	272	189

In hunc numerum 713 adolescentium recepti sunt 185, quorum

11 in Facultate Phil. Theor. et Litt. Hum.
34 in Facultate Medica.
71 in Facultate Juridica.
69 in Facultate Theologica.

qui nomina in Albo professi sunt, eo tantum consilio ut hic examinarentur, ceterum in diversis Athenaeis versantur.

Digitized by Google

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

d. VIII *Februarii* MDCCCXXXVIII.

INDICTI.

Rector et Senatus Academiae Lugduno-Batavae, ex Regio Edicto d. II Mensis Augusti A. MDCCCXV. N°. 14, Academiarum Belgicarum Cives et Athenaeorum Alumnos in annum sequentem ad certamen Literarium invitant et evocant, et Quaestiones, e singulis Ordinibus Academicis, promulgant has:

EX ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

E PHILOSOPHIA THEORETICA.

Quamnam operam Veteres Philosophi Graeci posuerunt in loco Philosophiae moralis, qui est de *Consolatione?* Quaenam in eorum libris consolatoriis prodita sunt argumenta rationesque consolandi; quantumque his tribuendum est?

E LITERIS.

Codicis Hebraei bene interpretandi periculum fiat in carmine, quod DEBORA et BARAKUS cecinisse Judic. V. 1 sqq. leguntur.

Digitized by Google

EX ORDINE MEDICORUM.

Quales Theorias experimentis illustratas divulgarunt Anatomici et Physiologi, inde ab initio hujus seculi, circa structuram et functionem Nervorum?

EX ORDINE JURECONSULTORUM.

Exponatur Historia introducti in provincias, quas deinceps Respublica Belgii Uniti comprehendit, Juris Romani.

EX ORDINE THEOLOGORUM.

Montenismi in Occidentem translati indoles et in Ecclesiam Latinam effectus exponantur.

EX ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

E MATHESI.

In plano quodam indefinito tres dentur circuli, quorum magnitudo et positio tribus aequationibus

$$(x-a)^2+(y-b)^2=r^2$$
$$(x-a')^2+(y-b')^2=r'^2$$
$$(x-a'')^2+(y-b'')^2=r''^2$$

determinantur. Quarum aequationum quum binae vicissim una ab alia substrahuntur, trium prodeunt rectarum aequationes, quae, ut solutio docebit, *rectae chordarum* aut *aequalium potentiarum* appellari possunt. Tres illae rectae memorabiles sunt ob mutuam convenientiam positionis ratione rectarum, quae binos circulorum datorum vicissim tangunt. Hinc quaeritur explicatio rerum peculiarium ad quas datae aequationes ducent et theorematum quorumdam, quae analytica inquisitio immediatè monstrabit. Quo in genere requiritur, ut diligenter exponatur, quid aequationes indicabunt, quum radii unius aut plurium horum circulorum evanescunt, eamque ob causam aequatio aut aequationes circulorum in illas puncti definiti mutantur.

Digitized by Google

E CHYMIA.

Quandoquidem Chymici plurimum dissentiunt de Salium ordine rite constituendo et definiendo; neque de communi quodam definitionis principio conveniunt, ita ut nunc latiori sensu majorem, nunc strictiori minorem, corporum diversorum numerum Salium titulo comprehendunt: quaeritur expositio accurata et examen criticum opinionum de Salium natura et definitione; dein inquiratur e quo maxime probabili generali principio et charactere Salium natura cognoscatur et definiatur.

Commentationes, non nisi Latina oratione conficiendae, aliâque, quam auctoris, manu describendae, ante diem 1 Novembris hujus anni mittantur ad Virum Clarissimum P. J. Uylenbroek, Senatûs Academici Actuarium, fiatque hoc praeter Academiae expensas. Singulae Lemmate inscribuntor, adjunguntorque schedulae obsignatae, auctorum nomina et praenomina integre continentes, eodemque extrinsecus Lemmate distinctae.

Universa concertationis ineundae ratio cognoscatur ex Regio Edicto supra memorato, art. 205 — 213, nec non Edicto 13 Oct. 1836, n°. 87.

Digitized by Google

ANNALES ACADEMIAE

RHENO-TRAJECTINAE.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

inde a die XVII *Martii* MDCCCXXXVII,

usque ad diem XXVI *Martii* MDCCCXXXVIII,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA DOCUERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

LUDOVICUS GERARDUS VISSCHER.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

RICHARDUS VAN REES.

PROFESSORES IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

PHILIPPUS GUILIELMUS VAN HEUSDE.
ANTONIUS VAN GOUDOEVER.
LUDOVICUS GERARDUS VISSCHER.
JACOBUS CORNELIUS SWIJGHUISEN GROENEWOUD.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.
GERARDUS MOLL, hoc anno vertente mortuus.
JOANNES FRIDERICUS LUDOVICUS SCHRÖDER.
JANUS KOPS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
THEODORUS GERARDUS VAN LIDT DE JEUDE.
PETRUS JOANNES ISAACUS DE FREMERY, Prof. extraord.
RICHARDUS VAN REES.
CORNELIUS ADRIANUS BERGSMA.

Digitized by Google

IN FACULTATE THEOLOGIAE.

JODOCUS HERINGA, E. F. propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
HERMANNUS BOUMAN.
HERMANNUS JOANNES ROYAARDS.
HENRICUS EGBERTUS VINKE.

IN FACULTATE JURISPRUDENTIAE.

HERMANNUS ARNTZENIUS, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
JANUS RICHARDUS DE BRUEYS.
ADRIANUS CATHARINUS HOLTIUS.
JANUS ACKERSDYCK, Prof extraord.
JOANNES MICHAELIS FRANCISCUS BIRNBAUM.

IN FACULTATE MEDICINAE.

JANUS BLEULAND, propter aetatem septuagenariam honorifice rude donatus.
NICOLAUS CORNELIUS DE FREMERY.
BERNARDUS FRANCISCUS SUERMAN.
JANUS ISAACUS WOLTERBEEK.
JACOBUS LUDOVICUS CONRADUS SCHROEDER VAN DER KOLK.

LECTORES.

SAMUEL NYHOFF, Linguae Graecae.
GERARDUS DORNSEIFFEN, Literarum Humaniorum.
CAROLUS THOMPSON, Literarum Anglicarum.
JUSTUS HENRICUS KOCH, Linguae Germanicae.
GEORGIUS CAROLUS VERENET, Literarum Gallicarum.

Digitized by Google

LUDOVICI GERARDI VISSCHER

ORATIO

DE

GERARDO MOLL.

DICTA PUBLICE

DIE XXVI MARTII MDCCCXXXVIII.

CUM ACADEMIAE REGUNDAE MUNUS

SOLENNI RITU PONERET.

N

Digitized by Google

Digitized by Google

ACADEMIAE RHENO-TRAJECTINAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI! ET QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONJUNCTISSIMI! — LECTORES DOCTISSIMI!

QUOTQUOT PRAESENTIA VESTRA HANC SOLENNITATEM CONDECORATIS, VIRI PUBLICA AUCTORITATE, DOCTRINAE LAUDE, MUNERUMQUE DIGNITATE CONSPICUI!

DIVINORUM ORACULORUM INTERPRETES DOCTISSIMI, REVERENDI!

Digitized by Google

ARTIUM DOCTRINARUMQUE DOCTORES CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, ACUTISSIMI!

ORNATISSIMI JUVENES ACADEMICI, PATRIAE SPES ET EXSPECTATIO!

CIVES DENIQUE ET HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO HONORANDI!

Digitized by Google

Illuxit rursus dies ille festus, exacto Academiae anno celebrandus.

Rectoris munere fungens, auxiliante Deo, per annum primus fui inter pares, prospiciens, ne Academia quid detrimenti caperet.

Nunc vero in hunc locum adscendi, ut magistratum meum in digniorem conferam successorem, simul vero orationem habeam, antiquo more.

Equidem, ineunte magistratu, ad orationis argumentum eligendum et elaborandum, pro virium mearum tenuitate, animum applicui. Dicere mihi proposueram «de vi, quam renata saeculo decimo sexto literarum artiumque studia habuerunt in patriam nostram.»

Quam materiam ad finem tantum non perduxeram, cum, eheu! tristis ad me pervenit nuntius de Mollio nostro, repentina morte Patriae erepto; a quo tempore luget Academia, atque ego, quod primum susceperam argumentum, haud sane triste, mutato consilio posui.

Quo enim animo me tunc fuisse putatis, Auditores? Num de alio argumento me cogitasse censetis, quam de viro, quem quotidie desideramus omnes, de quo frequens adhuc nobis sermo est?

Fateor equidem, Auditores! Mollium, qua fuit ingenii ubertate, non nisi a tali viro digne posse laudari, qui in eodem, quo ille inclaruit, scientiarum genere elaboravit. Attamen, cum fuit Mollius vir etiam literis excultus, qui multiplicis doctrinae suae ambitu ad varios pertinere videbatur studiorum cultores, atque ea, quae in lucem edidit scripta haud parum cum historia sunt conjuncta, videtur etiam talis fuisse, cujus laudes praedicare non physicis tantum, sed et aliis gratum accidit.

Quibus dictis nequaquam illud volo, mearum esse virium tanti physici memoriam recolere. — Contra, quam parum huic rei bene peragendae aptus sim, quo loco id melius persentire possem, quam hoc ipso, ex quo nunc verba facere mihi contingit et amplissimam hanc doctorum virorum coronam intueor. Cum tamen de Mollio tacere, Academiae fata enarraturus, non possem, nec vellem, optio mihi facienda fuit inter orationem de eo magis

Digitized by Google

minusve pleniorem. Malui illud, Auditores! confidens hoc argumentum, quippe quod sponte animos vestros occupat, etsi viribus meis parum accommodatum, tamen, ut huic diei congruum est, sic est vobis haud injucundum, et cum vestra fortasse exspectatione conjunctum fore.

Dicam igitur de GERARDO MOLL, ita quidem, ut primum agam de ejus vita et fatis, tum de variis ejus observationibus et scriptis editis, tandem vero de amabili ejus indole et de ingenti, quam fecimus, jactura.

Vos autem, Auditores! ut favore vestro me sustentetis, mihique benevolas aures et mentes praebeatis, humaniter rogo.

Anno praecedentis saeculi octogesimo quinto natus est Mollius Amstelodami honestis parentibus. Mater, quae poësi operam navabat, puerum linguae patriae, historiae ac religionis elementis erudivit, ejusque mentem a tenera inde aetate poëseos amore imbuit.

Juvenis mercaturae destinatus, non severioribus studiis, ut praeditus erat felici ingenio, alacritate summa, tenaci memoria, indefesso labore, celeriter excelluit iis dotibus, quae ad mercaturam faciendam necessariae, tamen paucissimorum sunt.

Linguas inprimis recentiores, Germanicam, Francicam, Anglicam, loquendi et scribendi usum et dexteritatem sibi comparaverat. — Hisce dotibus instructus, missus est Londinum, ut in florentissimo totius Europae emporio stadium ingrederetur.

At vero non diu mercatura juvenem tenuit. Londinum enim, tot oculorum delicias, tot amoenitates, illecebras continens, non minus optimarum artium scientiarumque illecebris generosam allicit juventutem. Hae Mollium etiam avocabant e mercantium tabernis, ejusque oculos ac mentem ad stupenda illa' convertebant industriae monumenta, quae mechanices progressibus Britannia debet.

Sibi relictus, Mollius hic rursus incidit in Cornelium Nepotem, et literarum antiquarum ac matheseos studio ita se dedit, ut brevi Latinos legeret poëtas, et cum Euclide suo in patriam reverteretur.

Amstelodamum redux, vitae tabernaculum in doctrinis ponere secum constituit, quippe de mercatura haud amplius cogitans.

Amstelodamum, recordamini Auditores! eo tempore infelici sorte premebatur. E debili Ludovici regis imperio sub potestatem transierat omnipotentis

Digitized by Google

fratris. — Traditi tunc eramus nos Batavi gladio! Patriâ in provinciae formam redactâ, et tanquam particula ingenti Francorum regno adjectâ, jacebant literarum studia. — Ubi vero Loots et Helmers adhuc Batavorum animos generosis excitare audebant carminibus, ibi etiam Van Lennep et Van Swinden haud deficiebant a proavorum virtute.

Mollius, qui ulterius progredi studuit, nec iis erat contentus, quae ex Horatio vel Euclide didicerat, celeberrimae illorum duumvirorum institutioni se tradidit, ab iis in regiam ductus est viam, eorumque lectionibus de literis antiquis et de physica experimentali aliquamdiu interfuit discipulus solers.

Academicum tamen studiorum cursum Mollius, impatiens morae, usque ad finem non secutus est, sive, quod breviore tempore, quam vulgo solent juvenes, fructum ex hisce lectionibus perceperat, sive aliis opportunitatibus mutato consilio. — Migravit tunc Lutetiam, ubi in illustri quae dicitur societate vivebat. Non tamen pro hujus urbis deliciis severiores disciplinas valere jubet, sed et hic in literarum studia ita incumbit, ut brevi inter optimos magni Delambrii discipulos censeatur, familiaritate usus doctissimorum virorum, qui tunc Lutetiae nominis fama inclaruerant.

Interea in nostra Academia Rheno-Trajectina multum mutatum. Ab antiquo universitatis splendore detrudebatur, inani scholae secundariae titulo ei imposito. At vero Napoleon egregie fallitur. Quid enim? Ut schola nostra vero nomine exstitisset secundaria, secundarios item doctores adjungere ei debuisset Imperator, sed, pro his, Heringam, Arntsenium, De Fremery et Heusdium suo quemque loco manere sivit, atque insuper Mollium iis adjunxit, matheseos et astronomiae professorem.

Vocabatur nunc quidem Academia nostra, in diariis publicis, inferioris ordinis schola, revera tamen, quem antea in orbe literato occupaverat ordinem, non amisit, quin potius destinata videbatur a Divina Providentia, ut Batavorum priscam solidae eruditionis laudem, tanquam palladium aliquod, intactam servaret, per omne illud tempus quo patria nostra, duro peregrini principis jugo submissa, pristinae culpae poenas luebat.

Aequalis sors tunc etiam imminere videbatur Instituto Regio, sed et hoc, nec non illa ejus pars, quae linguae patriae est sacra, servabatur.

Swindenio ibi dictaturam exercente, Mollius hujus Instituti creatur socius paucis ante diebus, quam huc rediisset.

Digitized by Google

Provinciam suam optime intelligens, Mollius, tam in Instituto Regio quam in Academia nostra, haud continuo quaecumque prisca consuetudine sacrata erant, abolere, nec despotismo favere, aut patriae oppressoribus annuere voluit; contra arcte sese junxit iis civibus, qui patriae optime vellent, horum consilia secutus, horum conamina adjuvans. Quos lethalis occupaverat sopor, excitare studuit, quaecumque jacebant, erigere; sic societatem in hac urbe nostra physicam omnibus modis curare, tum quoque eam, quae a Provincia Trajectina nomen habet, promovere conatus est. Loqui amabat lingua Patria, eadem lingua libros conscribebat, suas etiam lectiones habebat, atque ita post liberatam, felicissima rerum conversione, patriam nostram, Mollius, quippe qui tali viguerat animo, summo jure a senatu Academico honoris causa titulo Artium liberalium magistri, tum apud nostrates honorifico, ornatus est. Nunc quoque Academia nostra haud amplius secundaria dicebatur schola, quin potius eo temporis puncto unica erat hujus generis, in qua proavorum instituta, immo quod ad professorum etiam vestitum, immutata conservabantur.

Omni igitur jure recuperavit, quem amiserat, ordinem, et decreto Regis, pro constantiae praemio, facta est Regia, publicis regni sumtibus alenda, addita simul nova facultate matheseos et philosophiae naturalis, quae omnes disciplinas mathematicas et physicas contineret, antea cum Facultatibus medicorum et literatorum conjunctas.

Mollius novo huic ordini adscriptus, novo ardore naturae leges perscrutatur.

Accepta non diu post in Instituto Regio fixa sede, identidem sociis annumerabatur variarum societatum eruditorum, quae tunc, recuperata Batavorum libertate, ad novam veluti vitam vocatae sunt.

Summis viris, tunc patriae res moderantibus, id inprimis cordi erat, ut non tantum ea, quae a majoribus ad nos pervenerant, quaeque longo probata erant tempore, sed ea etiam, quae rerum conversiones attulerant bona, servarent et propagarent. Ad multa, apud nostrates ordinanda, pertinebat etiam systema decimale mensurarum et ponderum. Inter eos, quibus hujus rei constituendae cura fuit demandata, Mollius principem obtinuit locum, atque officio suo hac in re egregie functus est.

Lege de novo systemate constituta, Mollius Leonis Belgici, ordinis Regii, equitibus adscriptus est, qualis honos eo tempore nulli adhuc nostrae Academiae professori contigerat.

Digitized by Google

Deinceps ad inquirendum de optimis aquarum effluviis cum aliis hujus rei peritis vocatus, per quinquennium indefesso studio in ea re indaganda occupatus fuit, conscripsitque libellum, quo doctrina virorum peritissimorum Brunings et Lulofs egregie est explanata.

Hoc negotio, quod Mollium saepius a cathedra avocaverat, ad finem perducto, ad tranquilliores lectionum labores revertit.

Curatores Academiae Leydensis doctum et alacrem virum sibi vindicare avebant. Mollio, Leydam evocato, haud facilis erat optio. Etenim ab una parte in nostra urbe Trajectina a cunctis civibus amore prosecutus, cur hanc cum alia commutaret? Ab altera vero parte quam multa Leydensis Academia habebat, qnae Mollium allicerent. Nostrae vero urbis Magistratus, haud sinens, illustri spoliari ornamento Academiam, quam per duo fere saecula in deliciis habuerat, propriis sumtibus sustentaverat, protexerat, ornaverat, brevi rem dirimit. Mollium hic manere honorifice invitat, argumentis cum aliunde ductis, tum firmatis summâ decies mille florenorum, pro quibus nova comparandi instrumenta ei potestatem fecit.

Mansit Mollius, dumque novam e labore suo percipit voluptatem, Museum nostrum physicum novis iisque pretiosis instrumentis ita auget, ut optima in eo genere Musea aequiparare nunc possit.

Duumviris celeberrimis, Petro Simone de la Place et Guilielmo Hyde Wollaston, altero Lutetiae, Londini altero, eo tempore mortuis, Mollius, qui eorum amicitia usus fuerat, utriusque merita brevi laudatione exposuit.

Haec scripta, uti et plura experimenta et observationes, de quibus mox dicemus, diario cuidam inserta sunt, circa id tempus apud nostrates in lucem misso.

Contractis interea novis identidem amicitiis, doctum Mollii commercium amplificatum est, inprimis in Britannia, ubi per dulce feriarum aestivarum tempus degere solebat.

Tum, quas nostrates in physicis disciplinis observationes fecerant cum Anglis communicare, et vicissim, quaecumque hi nova invenerant sibi comparare studuit, ut deinceps haec omnia in Academiae nostrae sinum depromerentur, dijudicarentur ac, si bene videretur, adhiberentur in civium usum; qua quidem agendi ratione haud dubium est, quin Mollius cum de Britannia tum de Patria nostra optime meritus sit.

Digitized by Google

Etsi in Mollium nulla, quam vocant, Anglomania cadebat, Britannos tamen plurimi fecit, quippe de iis multo aequius judicans, quam nos Batavi judicare solemus. In doctrinis tractandis haud Francis minores eos censebat. Ipsi vero Britanni, in ceteris honoris studio non parum ducti, nec de propria dubitare praestantia soliti, Francicos tamen physicos et chemicos maximi facere solent, horumque nonnullos ut magistros suos suspiciunt. — Sunt omnino, qui opinentur, Londinum hac in re Lutetiae cedere.

Cujus opinionis particeps fuit inprimis vir doctissimus Babbage, qui, scripto edito, demonstrare studuit, disciplinas mathematicas in Francia pluris aestimari, ab academiis ibi efficacius propugnari, et in scholis magis coli, quam quidem apud ceteras Europae gentes.

Epistolâ, ad Faraday scriptâ, Mollius Britannorum hac in causa patrocinium suscepit. Quae quidem epistola, licet controversiam haud dirimens, multa tamen continet vere dicta, indeque a viris doctis in Britannia magno applausu accepta est.

Sic in dies magis Anglis commendabatur Mollius ut ingeniosus et doctus physicus, et simul ut politioris ingenii homo, quo factum est, ut in circulis optimae notae Londini et Edinburgi non minus acceptus esset, quam Ultrajecti et Hagae Comitis.

Tali viro, e Britannorum sententia, unum tantum deerat, quod nempe Batavus esset, nec natione Britannus. Quocirca Edinburgenses civitate eum donarunt, opportunate concilii eruditorum, in eorum urbe habiti, cui etiam Mollius interfuit, nostrae gentis personam in eo sustinens, ut nemo melius.

Brevi post honorifico doctoris juris titulo Academia Dublinensis eum donavit.

Sic Britannus factus, haud tamen desiit Batavus esse. Quod omnino patuit, quum altera Academiae nostrae saecularia celebraremus. Quanto tunc animi studio sese adjunxit iis, quibus praeparandi festi cura fuit demandata, quam prudens ejus consilium hisce datum!

Utinam Mollius festi commentarios scripsisset. Non me hercle tam jejuni, exiles, nudi, non tam mathematice ac demonstrative conscripti essent, quam nunc quidem sunt; sed tanquam in aheneis insculpta tabulis ejus verba ad posteritatatem transiissent; — scintillarent, arderent, collucerent, ut pharos aliqua ad littora maris, quae navigantium cursum regit.

Sed mittamus festi commentarios, et Mollii fata persequamur. Post cele-

Digitized by Google

bratum Academiae festum, rursus in Angliam itinere facto, rediit ad nos nova cumulatus gloria et innumeris observationibus abundans. — Societas physicorum ad annuos labores resumendos se parabat. — Nos academiae cursum aperiebamus, et Mollius, quamvis aliquamdiu cunctatus, cometae instar, male computati, serius ad pensum rediit; quum tamen apparuisset, suos denuo radios sparsit, eadem irregularitate eademque luce fulgens atque astrum illud, quod ante hos aliquot annos in coelo admirati sumus, et à quo optimum, quo utimur, vinum nomen traxit.

Novo Academiae cursu inchoato, praeterlabitur pars anni pulcra, qua sol fugitivus nobis arridet, quaeque dulcia habent aestas et hyems conjungi solent. Celebrabamus tunc annum vicesimum quintum, ex quo Mollius professoris munere hac in Academia functus esset.

Fuit sane dies ille, ut discipulis ejus, sic etiam nobis multisque, qui Mollium amabant et venerabantur, dies omnino festus. — Omnes in ejus domum conveneramus, altero alterum urgente, ut junctis dextris ei gratularemur: Academiae rector cum oratione sua magistrali qualicumque, Heringa facundia sua et seria gravitate et prudentia et praeteritarum rerum memoria et lacrima oculo rorante, singuli collegae verbis, animi sensum testantibus. Tum permulti ejus discipuli, ex quibus Houëllius condiscipulorum nomine carum praeceptorem diserta oratione salutat, oblato simul observantiae et grati animi documento, non pretioso tantum et eleganti, sed cum judicio item comparato.

Vespertino tempore tota Academia laetitiae particeps erat. Omnes cives academici, facibus accensis ad tubarum tympanique sonum solenni pompa procedentes, densa cingebant corona parvum templum, cujus parietes illustrium virorum imagines tegunt, et in quo Mollius lares suos posuerat. Omnes ibi una eramus, mirum, quanta cum laetitia, quanto cum animi ardore, quippe testes facti tantae collegarum et amicorum in collegam et amicum observantiae.

Nos omnes ibi una eramus, nos inquam, quos eadem Academia et tot amicitiae vincula jungunt, beatum praedicantes Mollium, ejusque discipulos laudantes, ea etiam approbantes, quae tunc tanta animi assensione dicebantur.

O quam suave solennis illa hilarisque studiosorum cantilena « io vivat » tunc concinebatur, dum canentibus « in sanitatem Mollii » iterum iterumque per plateas assonat echo.

Digitized by Google

Laetitia exsultantes ei propinabamus. Vos facile in illius vesperae memoriam reditis, Collegae conjunctissimi! quum, laete discedentibus discipulis nostris, Mollius, intimo pectore commotus, nos abire noluit, — tunc considebamus omnes amicissimo coetu conjuncti, hilari mente confabulabamur, praeteritos collegae annos animo revocantes, et sic, ejus fata perlustrantes, omnes delectabamur mirifice ad ejus mensam semper hilarem.

Tum ei exoptabamus, ut alteros etiam viveret quinque et viginti annos, eheu! vicesimo quinto die iam post . . . . . Mollius haud amplius erat in vivis.

Restat, ut Mollium adumbremus, qualem se probaverit doctrina conspicuum, optimum patriae civem, virum humanitate insignem.

A plerisque praejudicatis opinionibus liber, candidus et apertus, de rebus sic loqui amabat, quales revera sunt, haud dubitans, quae vitiosa et perversa animadverteret, acribus subinde verbis impugnare, quippe id semper efficere studens, ut progrederentur nostrates in difficili cultus et scientiarum via.

Haud quidem doctrinas, quas colebat, amplificare, quin potius earum cognitionem cunctis recludere, popularem efficere, facilem reddere voluit; hac igitur in re minus comparandus Newtono, quam Benjamini Franklino. Ejus enim ingenium ad practicam, quae dicitur, rerum utilitatem conversum, fructum simul cum flore quaerebat, hoc sibi maxime propositum habens, ut ad ea, quae a ceteris gentibus novissime fuerant detecta, nostratium animos adverteret; minime vero hac re contentus, si aliorum observationes repeteret tantum, has item emendare, latius extendere, in proprium nostrae gentis usum adaptare studuit.

Prius probavit experimentis suis electromagneticis, vel etiam observationibus de aquae densitate.

Posterius vero accuratis et doctis commentationibus, quas scripsit de calefaciendis hortorum loculis tractoriis sive hybernaculis, de experimentis cum campana urinatoria Plimuthi factis, de puteis Artesianis, de celebri illa rota, ab Eckhardo nostrate inventa et ab aliis gentibus ad exsiccandos lacus usurpata, vel etiam de navibus atmicis.

Sunt quidem illae commentationes non omnibus numeris absoluta monogrammata de argumentis, quae iis tractantur, sunt maxime scriptiones, eruditorum ephemeridibus insertae.

Digitized by Google

Quid putatis, Auditores! nonne hujusmodi scribendi ratio omnium fuit optima, qua vincerentur praejudicatae hominum opiniones? — Quotusquisque enim ante hos viginti annos librum perlegisset de puteis conficiendis, vel de machinis atmicis? Quo magis doctrina vel novitate opus se commendasset, eo certius in Annalibus nostris, vel Instituti Regii commentationibus tanquam tumulo conditum jacuisset. Certe, qui hujusmodi scripta in patria nostra legerent, quam pauci tunc numero! Quo tandem modo magistratuum nostrorum, ceteroqui peritissimorum, sexcenti errores certius et efficacius superari potuissent, quam illis *annotationibus*, *additamentis*, *emendationibus*, identidem in lucem missis, et perpetuo repetitis, quibus Mollius nostratium animos primus advertit ad vim atmicam, novissime tunc ad inventa mechanices nova methodo applicatam, tum vero pericula, quae cum machinis istis conjuncta somniabant nostri homines, lucide descripsit.

Hisce vero non subsistens, primam ille navem atmicam, quam nostrates viderunt, et quacum experimenta instituta sunt, adscendit, et aliquamdiu hac nave vectus, ad patriae oras et per flumina nostra vagatus est. — Tum vero observationes suas maxima simplicitate cum nostratibus communicavit; quippe ita rem narrans, ut eam ad hominum captum plane accommodaret, et legentium animos festiva navigationis descriptione ad illam adverteret, simul mercatoribus nostris novi quid aut aliquam lucri spem indicando, eo tandem rem perducens, ut homines ejus libellos lubenter inspicerent. Quae doctiore forma nunquam legissent, nunquam didicissent, haec nunc legere et discere amabant, tali cum exitu, ut prudentiores, Mollii exemplo adducti, item de hisce rebus computare inciperent, unus discipulorum dissertationem conscriberet *de Machina atmica*, atque aligerae illae naves interea in fluminibus nostris conspicerentur.

Tales successus Mollio erant honorifici eumque incitabant. Haud alios etiam sibi voluit, quippe practicam rerum utilitatem maxime assequi studens, minus aptus theoreticis meditationibus, vel prolixioribus mathematicis om - putationibus. — Ad talia deerat ei tempus, patientia.

Haud tamen ei defuisse peritiam nec, si quando vellet, ingenium observandi, abunde probavit doctis commentationibus, quas scripsit, cum de magna eclipsi solis anni millesimi octingentesimi vicesimi, tum inprimis de Mercurio in sole viso.

Bibliographiae vel historiae periti fortasse ad priorem hujus dissertationis partem, quae antecedentes observationes, ad Mercurii theoriam pertinentes,

Digitized by Google

complectitur, multa addere possent. An vero in posteriore scriptionis parte, aut in observationibus, quas Mollius ipse fecit, a Mathematicis emendari quid possit, merito in dubium vocant aequi harum rerum judices.

Haud dissimilis erat Mollius poëtae, qui singulis, quas observat attingitque, rebus claram affundit lucem; quippe haud aliter sua scientia et experientia usus. Sic incendio alicubi orto, exempli gratia Gandavi in templo Sancti Bavonis, haud elegiam cecinit, sed de emendandis machinis, quibus incendia exstinguuntur, scripsit.

Mutabilis est aëris temperies, vel frigus oritur durum, quale anno Belgicorum motuum exstitit, continuo scribendi argumentum habet barometri statum humilem, vel duras hiemes universe. Unus vel alter inter nostrates utili cuidam rei operam navat: Utenhovius observationem facit; pharmacopoeus van den Bos apparatum Galvanicum emendat, vel Uylenbroekius magni Hugenii manuscripta in lucem edere instituit: Mollius currit, festinat ad societatem physicorum, ad Institutum Regium, ad cathedram academicam, ad ephemerides nostras, inprimis, eam quae dicitur *de Letterbode*, summo ardore talium virorum praeconem se gerens, eorumque labores, quos quidem probaverat, ad omnium notitiam perferre studens.

Hujusmodi opportunitatibus usus, Mollius ea, quae aliis parva videbantur, nec attentione digna, sic exponere solebat, ut omnes perciperent, quinam fructus in publicam civium utilitatem, et ad doctrinas provehendas, inde redundarunt.

Quod omnino patuit, quum habita ratione libellae aquarum Amstelodamensis, sive quod dicitur *het Amsterdamsche peil*, commentationem scripsit de necessaria universeque neglecta libellatione, nostrâ linguâ *de waterpassing;* vel etiam quum Francorum kilogramma ad normam habens, totam mensurarum et ponderum theoriam simplici ratione in usum minus eruditorum exposuit, monstrando simul eruditis, quot vitiis adhuc systema illud laboraret.

Verbo, ubicumque doctrinae suae causa agebatur, Mollius in promtu erat, non minus in festis publicis, quam ubi gravia patriae damna exstitissent.

Sic, opportunitate cursus equorum, incidit in argumentum de celeritate motus equi, comparata cum cursu eorum, qui calopodiis ferratis instructi in glacie feruntur, argumentum sane non mediocris practicae utilitatis.

Digitized by Google

Sic alio tempore fulmen percutit unam alteramque turrim. Mollius, haud aliter atque antiquarius scholae romanticae, omnes templorum turres defendere et custodia sua tueri studet, provocans ad sanam gentis nostrae mentem, magistratus appellans, et pro singulis aedificiis, in quibus antiquitatis thesauri asservantur, aut divina oracula Christianis explicantur, fulminis deductorem rogans.

Cum tali ratione prodesse civibus suis inprimis vellet, subinde tamen ad observationes faciendas vel ad scripta elaboranda majoris ambitus sese applicuit. Haec omnino primaria Mollii opera nuncupare licet.

Ad prius pertinere genus censeo eximia illa experimenta *de Celeritate soni*, (quae cum doctissimo viro ejusque amicissimo Alberto van Beek Mollius instituit) non tantum, quod hujusmodi observationes longum tempus, magnum ordinis studium, et singulare judicium requirunt, vel etiam instructissimum instrumentorum apparatum, vel multorum adjuvantium auxilium, quibus omnibus conjunctis haud facile quis gaudere solet, nisi qui professor sit apprime doctus et a multis dilectus; — sed praesertim, quia observationes illae, quas summo suo ingenio dirigere solebat, apud nostrates novae prorsus erant, ac praeterea, quippe accuratissime factae, fructus praebuerunt longe majores iis, quos Britanni vel Franci ad illud usque tempus sibi comparare potuerant.

Reliqui Mollii labores primarii sunt:

Ejus *additamenta ad Kampenii Historiam Literarum Batavarum.* In hisce Mollius tamen non nisi mathematicorum et physicorum vitas spectavit; de iis autem ita disquisivit, ut dubium sit, judicium ejus magis mirere, an solidam eruditionem.

Alterum opus primarium est *commentatio de inventis tubis opticis.* Quodsi quis dicat, in hac commentatione elaboranda Mollium maximam partem usum fuisse Swindenii hac de re annotatis, haud ei repugnabo, dummodo bene intelligat, vel sic etiam hunc laborem fuisse Atlantis cujusdam opus, cui tot nova insuper adjecit Mollius, ut eum non satis in hisce admirari possimus.

Est hic liber non chaos aliquod, prouti Koningii liber *de inventa typographia*, nec polemica scriptio, uti Scheltemae *analecta Costeriana*, sed totum aliquod constituens, ad persuadendum aptum, liber est optimae frugis, dignissimus omnino, quo tanquam praemio in scholis ornentur juvenes, qui maximos in Algebra et Mathesi progressus fecerint.

Digitized by Google

Idem dicendum est de commentatione, qua primas Batavorum navigationes ita descripsit Mollius, ut palmarium opus haberi mereatur; quippe doctissimis disquisitionibus innixum, et Batavorum gloriae dicatum.

Non sic tamen est effusa laudum largitio neque tumida laudatio. Auctor enim longe aberat ab inani multorum jactandi studio, quo per fas et nefas semper nostratium in re navali laudes in ore ferunt; contra, vera Batavorum nautarum merita in lucem posuit, et ita de hisce scripsit, ut multiplex auctoris eruditio et judicandi subtilitas abunde pateant; in hoc enim libro gravitas historiae et jucunditas fabulae Romanensis conjunguntur. Est omnino talis, ut societates nostrae, quae novas semper quaestiones proponunt, hunc librum suum reddere et tueri deberent, — est palmarium Mollii opus, liber gentis Batavae, iterum iterumque typis exprimendus et in peregrinas linguas vertendus, ut ad plurimorum notitiam perveniret.

Quodsi in Mollii vita et fatis enarrandis, et praecipuis ejus scriptis enumerandis, vera pronuntiaverim, apparuit virum exstitisse Mollium doctrina et ingenio praestantem, cui plures erant dotes.

Pauca mihi adeo dicenda supersunt de amabili ejus indole et de ingenti, quam fecimus, jactura.

Quae de Mollii indole dicenda habeo, conjuncta sunt cum ejus studio mercaturae et industriae, cum ejus scriptis de mathesi et de re nautica. Etenim Mollius, sincero patriae amore ductus, optimus sic exstitit civis, cui dulce erat, bona quaeque inter nostrates obvia, laudare, nunquam tamen dubitans candide reprehendere tum quae hic illic perversa animadverteret, tum ea etiam, in quibus nostrates, plus nimio tardiores, a ceteris Europae gentibus longiori spatio remoti manerent. Ut plerique viri, qui proprio et subacto ingenio valent, inprimis optimatium causae addictus fuit. Haec autem cogitandi ratio nequaquam in eo conjuncta fuit cum ridiculis opinionibus praejudicatis, et vel minime cum superbia quadam. Fuit contra familiaris, comis, lubenter unicuique auxilium praebens. Nec honores captare studuit nec munera, sic sentiens, honores et munera, a magistratibus tributa, sicuti cetera jura accepta, consideranda et honoranda esse.

Non vulgaris in eo erat facilitas cum variis hominibus consuetudinem haben-

Digitized by Google

di; ubique suo erat loco. Amabat tamen nobilioribus civibus, quique nominis fama florebant, familiariter uti, quales felicissime sibi adjungere solebat eorum meritis justo pretio aestimandis.

Mollium in dijudicandis aliis semper aequitate ductum fuisse, nolo equidem effari. Hoc tamen dicere oportet, aequum judicem eum exstitisse si non cunctis, certe multis, optimis, inprimis vero senibus et praeceptoribus suis.

Praeceptores, quos habuit, infinita fere pietate et veneratione coluit, non minus simplicem illum militem, qui arithmeticam eum docuit, et quem mathematicum esse deinceps apparuit, quam Swindenium et Delambrium, quibus innotuit, quum hi jam per omnem Europam nominis famam adepti fuerant. Testes mihi sunt ipsa Mollii verba, quibus nunquam non de hisce triumviris loqui solebat, tum etiam eximia illa elogia, quae in singulorum memoriam conscripsit.

Licet proprio valens ingenio, et plane suus, etiam in minusculis rebus, Mollius pro parte tamen sibi adaptaverat quae egregia animadverterat in praeceptoribus. Sic. v. c. Swindenius amore eum imbuit eorum omnium, quae ad patriam ejusque commoda augenda pertinent, tum etiam studio utilitatis practicae. Sic a Kaisero, simplici illo milite, computandi dexteritatem, severam doctamque laborandi rationem acceperat, uti a Delambrio tenuit nativam illam facilitatem et alacritatem in familiari consuetudine atque in scribendi et ex improviso dicendi ratione. Mollius subinde quidem αἰνιγματικὸς videbatur, nunquam tamen quum magno cum fervore loqueretur.

Merito igitur Mollium, aetate adhuc florentem, exstinctum lugent bonarum artium doctrinarumque cultores, lugent amici et discipuli, quibus tantopere carus exstitit. Luget societas physicorum, cujus non socius, sed caput erat et oraculum, tum Academia nostra, quae tot et tanta indefessis Mollii laboribus debet, postremam, quam adepta est, gloriam, — nominis famam apud exteros.

Hi omnes quotidie adhuc Mollium desiderant, et summo quidem jure. Mollius enim amicis suis plus exstitit, quam amicus, discipulis plus quam doctor, societati physicorum plus quam socius, Academiae plus quam membrum. Exstitit ergo, quod mirum videatur, hisse omnibus pater: hîc, hîc inquam, cernitur ingens, quam fecimus, jactura. Nam doctoris, vel socii, vel periti viri jactura compensatur. Compensari etiam interdum possit jactura

Digitized by Google

amici, vel conjugis, vel liberorum; — sed patris, quem Divina Providentia semel tantum homini largitur, non potest compensari, semperque dammum irreparabile manet.

At video, hanc comparationem non recte esse institutam. In mundo morali hominibus vel institutis saepius plures patres esse solent, et nostra sane Academia multos adhuc intuetur eiusmodi inter Curatores suos ac Professores, senes venerabiles.

Sic igitur Mollii memoriam perpetuo recolamus, quod jubent pietas et grati animi sensus. Debitas jam laudes ei tulerunt ejus collegae Schroederus et van Rees, docte, pie, accurate, ita ut in omnium auditorum animis tanti Viri desiderium reliquerint. Sed, quanquam schola nostra tam illustri spoliata est ornamento, oportet tamen ea admittere, quibus nos solemur.

Extinctum lugete Mollium vos omnes, quibus patriae honos doctrinarumque cultus cordi est; extinctum lugete Mollium! sed beatam adhuc gaudete Academiam nostram, quippe quae, etsi gravi nunc dolore afflicta, etiam nunc tot doctos viros, de quibus merito glorietur, suos vocat.

Haec nobis manet certa melioris temporis spes. —

Digitized by Google

FATA ACADEMIAE.

Ex civibus Academicis obierunt Henricus Joannes van den Heuvel, Guilielmus Antonius van Doesburg, Bernardus de Jongh, Marinus Guilielmus van Schermbeek; tum etiam Isaäcus Petrus Henricus de Bousquet, et Wilhelmus Theodorus Wieneke, uterque Theologiae candidatus; Guilielmus Arnoldus de Beveren, Literarum humaniorum candidatus, qui sedulitatis morumque honestatis exemplum reliquit. Optimam hic juvenis studiorum viam tenuit, sed et tales, qui hac via procedunt, lente tabe exhauriuntur. Qualis etiam sors fuit Francisci Arnoldi Joannis Pabst, Philosophiae naturalis candidati, optimae indolis maximaeque spei juvenis, qui cum commentationem suam auro ornatam typis exprimendam pararet, tristi morte literis atque parentibus suis ereptus est.

Nuperrime obiit Enno Kreling van Goudoever, doctissimo patre dignus

Digitized by Google

filius, juvenis omnino, parentibus, cognatis, amicis, praeceptoribus singulis aeque carus, studiosus non nomine sed re, quippe qui semper sese probavit optimum filium, amicum, discipulum. Cernebatur in hoc juvene ardens discendi verique studium, singularis laboris constantia, multarum rerum linguarumque peritia, rarae omnino ingenii dotes, quibus spem excitaverat egregiam, fore ut ecclesiae Christianae aliquando insigne decus existeret.

Praeterea erat candidus, apertus, simplex, omnibus sponte sese commendans amabili quadam modestia. Hoc autem ingenium, haec morum probitas haec vitae integritas, major omnino ille spiritus, ipsis vultus lineamentis ita exprimebantur, ut ne dubitare quidem de iis posses.

De talis filli jactura patrem consolari nequeo. Si vero consolatione hîc intelligatur e mente et cogitatione pellere, facere ut pater tam carum filium obliviscatur, nolim hoc equidem. Quod nec tu ipse, Collega conjunctissime! velles, neque nos decet. In acerbissimo tuo casu solatium tibi exoptare licet, et omnes sane, qui hic adsunt, a Deo precantur, ut tibi tuisque in gravi hoc luctu propitius adsit. Tibi etiam persuadere licet, omnem Academiam, totam nostram urbem tecum doluisse, — de hisce vero ita loqui, ac si calamitas tibi exstitisset, quam facile superare possis, non decet, non possumus. Enno ille tuus, carissimus ille tibi nobisque Enno, quem toties hoc ipso loco cum applausu audivimus disputantem, hunc juvenem, quem a Deo acceperas, Deus recepit, et in beatas transtulit beatorum sedes, Cujus supremae voluntati nostram submitti par est. Sed filii tui recordatio erit dulcis; nam quidquid in eo amavimus, quidquid mirati sumus, hoc omne manet mansurumque est: nam divinum hoc et sempiternum.

Moerorem ergo ne cohibeas. Lacrymas fundere uberrimas dolorem lenit, solatium exhibet, ubi talem luges, qui dum vixit bene vixit et nullam tibi lacrymam expressit.

In fatis, quae Academiae nostrae cum universa patria fuerunt communia, memorabilis fuit Augustissimae Reginae mors, quae eo tristior cunctis civibus accidit, quo magis Regiis virtutibus fuit praeclara, quibus pares, non vero majores in soliis Regiis conspiciuntur. Deus nobis interea salvum conservavit Regem, et sic universo populo laetandi causam dedit.

Vestris sub auspiciis, Amplissimi Curatores! quos salvos sospitesque

Digitized by Google

gaudemus, nostrae Academiae conditio talis mansit, favente summo Dei numine, ut adsint causae, quibus laetemur, dum primum novi saeculi annum claudimus.

Academiae Bibliotheca dona accepit hoc anno cum alia ab aliis, tum Boissonadii *Anecdota Graeca* ab ipso auctore, tum vero integras Bibliothecas, primum Utenhovianam, deinde Mollianam, utramque eximiis operibus de physicâ et astronomiâ insignem, quo magis nos horum duumviorum memoriam grato semper animo sumus prosecuturi. Dotata etiam est bibliotheca splendidissimo libro, descriptionem continente Pompejorum atque magnum effigierum numerum, quibus celebratissimae hujus urbis reliquiae delineatae sunt. Est autem hic liber donum eorum nostrae Academiae alumnorum, quibus jubilaeo nostro festo vitam Academicam communibus conviviis reminisci placuit, quorumque praeses tunc fuit Vir Clar. de Brueys.

Laboratorium Chemicum usibus, quibus destinatum est, cum fructu inservire pergit.

Museum Mineralogicum auctum fuit egregia serie speciminum geognosticorum, ad illustrandas tertiarias formationes Parisinas inservientium, quibus accedunt quaedam ossa extincti animalis Lophiodontis his in locis aliquando obvia.

Bibliotheca, nosocomium, musea academica, hortus botanicus, specula astronomica, Professorum, qui iis praesunt, labore et studio, usibus Academicis egregie inserviunt, multaque continent bona, quae alibi frustra quaeras. Nullo autem alio adjumento sublevantur, quam parvo illo, atque incerta, qua adhuc versamur, Patriae conditione, maximopere diminuto subsidio. Qualia igitur fuerant musea nostra, manserunt etiam, nihil amplius. Majus petunt auxilium magna voce.

Sapienter, nec studiis nocens, constitutus est fons, unde annuo proventu circiter decies mille florenorum summa redundatura est, ad necessaria emendanda adhibenda; quae vero simul egregie poterit amplificari hereditatibus vel donationibus inter vivos. Hujusmodi donationes magis magisque in usum venire experti sumus Academiae jubilaeo anno, atque iterum hoc ipso, hereditatibus Utenhovii et Mollii, cujus utriusque Bibliothecâ egregiâ Academia nostra donata est. Quae adhuc in Bibliotheca et Museis

Digitized by Google

nostris desideramus, haec Optimo Regi dicere licuit, quum sexto et septimo die mensis Junii anni praecedentis nostram urbem invisit, qua opportunitate suam nobis declaravit voluntatem erga Academiam, approbando simul animo, in ejus Professoribus et alumnis conspicuo.

Pergratus fuit Augustisimo Regi modus, quo hic receptus est. Et sane spectaculum fuit unum in paucis praeclarum, adspicere Patrem Patriae, non equis sed populi sui manibus vectum, praecedentibus excubiis e studiosorum cohorte ductis; sequentibus vero et comitantibus ceteris civibus Academicis cunctis. Regem, in primi magistratus domum delatum, varii civium delegati salutabant; sed nulli certe minore sui studio, majore sinceritate, quam juvenes illi, studiosorum nomine delecti, Van Stegeren, Junius van Hemert et Roëll, illo die vexillarii et equites, ceteris anni diebus egregii nostrae scholae discipuli.

Senatus Amplissimi nomine verba faciebat illustrissimus Curatorum Praeses, hujus Academiae Restauratori gratias agens, principe Batavo Batavisque Professoribus dignas.

Alia fata memoranda non habeo. Etenim per omne magistratus mei tempus placida quiete gavisa est Academia, ita ut singuli suis operam navare rebus potuerint. Absoluti sunt Academiae Annales, dehinc alia forma in lucem edendi. Ex Professoribus Heringa, Heusdius, Schroederus, Van Lidth de Jeude, Royaardsius, novis egregiisque libris edendis vel partim jam editis absolvendis, doctrinas suas amplificarunt. Alii, uti De Fremery pater ac filius, Kopsius, Goudoeverus, Suermannus, Schroederus van der Kolk, Van Rees, publicas habuerunt praelectiones. Alii, uti De Brueys, Birnbaumius, Holtius, Ackersdykius, Bergsma, Swijghuisen Groenewoud, novis scriptis elaborandis adhuc operam navant, quibus nostrae Academiae famae consulent.

Duo Professores hoc anno a peregrinis honore sunt exornati, Heusdius et Schroederus van der Kolk, quorum ille adscriptus est sociis, qui dicuntur correspondentes, Academiae doctrinarum moralium et politicarum in Instituto Franciae; huic vero Societas medicorum Lipsiensis sodalitium obtulit.

Unus studiosorum, Andreas Cornelius van Heusde, in Academia Groningana, pro egregia historicae quaestionis responsione praemio condecoratus est.

Digitized by Google

Mihi vero, Auditores Humanissimi! nulla nunc distribuenda sunt praemia. Vacuus est locus ille, quo considere solebant juvenes praemiis decorandi. Victores adspicio in certamine literario nullos. Quid quaeritis? Num defuit studiosorum ardor, industria? Nequaquam, Auditores! sed defuit aurum.

Discendi amore et sedulitate admodum se commendarunt hujus Academiae alumni, nec minus morum honestate. Juvenes nostri, si universe eos spectetis, in nulla re culpandi fuerunt, contra tantum boni perfecerunt, quantum rerum opportunitates sinebant, sive humanitatis exemplis praebendis, qualia non facile quispiam in aliis societatibus, tot numero juvenes continentibus, animadverteret, sive egestati succurrendo, collatis aliquot mille florenis ad pauperes sublevandos. Quodsi de singulis studiosis quaeratur, idem testimonium iis dandum. Difficillimae enim res, magistratus mei tempore obortae, brevissimis verbis enucleare potuimus, si unus vel alter a me admoneretur.

Quotidie vero expertus sum complurium observantiam, obsequium, benevolentiam, quibus est factum, ut muneris mei gravitas magnopere diminuta, et voluptas inde percepta major facta sit. Quod quidem palam agnoscere officii mei duxi.

Sed et vobis, Collegae conjunctissimi! vobis item Amplissimi Curatores! gratias lubenter ago pro firmissimo auxilio, quod mihi praebuistis, pro omni fiducia, quam in me posuistis. Si quid boni e magistratu meo Academia perceperit, non mihi hoc adscribendum, sed viribus illis, quas quivis Academiae rector habiturus est, qui mutuo vestro axilio sublevatur.

Tandem oratio mea se convertat ad Te, Clarissime van Rees! cui vacuam Mollii cathedram optulit Rex Augustissimus. Omnium nomine hunc honorem ex animo tibi gratulor. Hanc tu provinciam ornes et scholae nostrae diu sis ornamento.

Unum hoc solennitatis superest, ut meum magistratum tibi tradam, quocirca e Regis Augustissimi GUILIELMI I. auctoritate Virum Clarissimum, Rychardum van Rees, Academiae Rheno-Trajectinae Rectorem Magnificum in proximum annum dico, proclamo.

Tu igitur, Vir Clarissime! ad me accedas, et hanc sedem tibi destinatam occupes.

Digitized by Google

Salve, Magnifice Rector, iterum salve! Prisca honorifici muneris insignia, en, accipe, sceptrum, sigilla, album. Sit tibi in regunda schola nostra propitius Deus. Tuis sub auspiciis laete floreat Academia Rheno-Trajectina!

His igitur feliciter peractis gratias Tibi agimus, summe Deus, cui in aeternum sit gloria et laus.

DIXI.

Digitized by Google

ANNOTATA AD ORATIONEM.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM

GERARDI MOLL.

1819.

Waarnemingen van de komeet van 1819. *Letterbode* 1819. II. 59.

Rapport op de beschouwing van de instrooming der opper-Rijn- en Maaswateren door de Nederlandsche rivieren tot in zee, door den Inspecteur Generaal BLANKEN, opgenomen in zijne verhandeling over dat onderwerp. — Uitgegeven door de 1ste klasse van het Koninkl. Nederl. Instituut. 1819.

Sur l'initiative de la proposition d'une mesure invariable prise dans la nature. *Journal de physique*, LXXXIX. 388.

Oratio de vitanda, in astronomiae studio, fingendi temeritate, et coeli observatione quam diligentissime instituenda, dicta publice die XXVIII m. Martii a. CIƆIƆCCCXIX. quum Academiae regundae munus solemni ritu d›neret. — *Annal. Acad. Rh. Traj.* 1818 — 1819.

1820.

On the Solar Eclipse which took place on September 7. 1820. Communicated in a Letter to J. F. W. HERSCHEL Esq., from Prof. MOLL of Utrecht.

Sur une experience d'électricité. *Journal de physique*, XC. 396.

Digitized by Google

Beschrijving van eenen nieuwen scaphander, verbeterd door A. SCHIERBOOM te Amsterdam. — *Natuurk. Verh. van de Hollandsche maatschappij der wetenschappen te Haarlem.* X. 163.

Buitengewone hoogte der barometers in Jan. 1820. *Letterbode* 1820. I. 47. Lage barometerstand den 2 Maart 1820. *Letterbode* 1820. I. 190.

1821.

Beobachtungen des ausserordentlich hohen und tiefen Barometerstandes im J. 1821. Nachrichten aus den Niederlande, in GILBERTS *Annalen der Physik.* B. XIII. S. 405.

Berigt aangaande de duikelaarsklok en eenen togt met dezelve gedaan. *Letterbode* 1821. II. 259.

Sur des expériences électromagnétiques. *Journ. de phys.* XCII. 295.

Sur les nouvelles expériences électromagnétiques. *Journ. de phys.* XCII. 309. 311.

Au redacteur du Journal de Ph. sur l'invention des lunettes d'approche. *Journ. de Phys.* XCIII. 150.

1822.

Over den lagen barometerstand van 25 Dec. 1821. *Letterbode* 1822. I. 30.

Over eenen zeer gevoeligen Galvanischen toestel, vervaardigd door den Heer J. VAN DEN BOSCH, en eenige Galvanische proeven met denzelven. *Letterbode* 1822. I. 292.

Iets over stoombooten, en eenig berigt aangaande die, welke aan den Moerdijk zal worden aangelegd. *Letterbode* 1822. II. 53.

Verdere berigten aangaande de stoombooten en derzelver gebruik. *Letterbode* 1822. II. 211.

Digitized by Google

Brandvrije gebouwen. *Letterbode* 1822. II. 311.

Bedenkingen over het werktuig ter verbetering der vaart in kanalen, enz. *Letterbode* 1822. II. 372.

On some electromagnetical experiments made by Mr. VAN BEEK, VAN REES and MOLL. *Edemb. Philos. Journ.* IX. 167. Een uittreksel staat in de *Biblioth. Universelle*, XX. 123.

1823.

Redevoering over JAN HENDRIK VAN SWINDEN, uitgesproken in de vierde openbare vergadering der eerste klasse van het Kon. Instituut, 26 Aug. 1823. *Verslag der 4de Openb. vergadering der 1ste klasse.* Ook afzonderlijk, uitgegeven, Amst. 1824. 8°.

Iets over den onlangs overledenen sterrekundige DELAMBRE. *Magazijn van Wetenschappen, Kunsten en Letteren*, verzameld door N. G. VAN KAMPEN. II. p. 29.

Eenige berigten (omtrent stoombooten, enz.) *Letterb.* 1823. I. 115.

Stoombooten tusschen Londen en Calcutta (nameloos). *Letterb.* 1823. I. 334.

De Treeradmolen in de gevangenis van Coldbathfield te Londen, met eene afbeelding. *Letterb.* 1823. I. 291.

Het hellend scheprad door een stoommachine gedreven. *Letterb.* 1823. II. 98.

Proefnemingen aangaande de snelheid van het geluid, door G. MOLL en A. VAN BEEK. *Verh. 1ste kl. van het Konninkl. Ned. Inst.* VII. 281. *Phil. Transact.* 1823. — *Bibl. Univers.* XXX. 470. POGGENDORFF. *Ann. de Phys.* V. 351. 469.

Berigt omtrent de werken te Plymouth met de duikelaarsklok uitgevoerd. *Letterb.* 1823. II. 329.

1824.

Berigt aangaande J. F. KAISER. *Letterb.* 1824. I. 354.

Digitized by Google

Berigt aangaande den onderaardschen weg, welke in het bed van den Theems zal gegraven worden, met afbeelding. *Letterb.* II. 276.

Over de electrische proef van den ridder DE NOBILI. *Letterb.* 1824. II. 365.

Verhandeling over de verwarming der stookkassen door stoom, door W. BURLEY, uit het Engelsch vertaald, met bijvoegselen. *Natuurk. Verhandel. van de Holl. Maatsch. der Wetensch. te Haarlem.* XIII. 201.

1825.

Verhandeling over eenige vroegere zeetogten der Nederlanders. Amst. 1825. 8°.

BLEIBTREU, Beschrijving des sterrenhemels, vertaald door A. DE WIT, met eene voorrede en aanteeken. van G. MOLL. Amst. 1825.

Over de uitgaven van de handschriften van HUYGHENS. *Letterb.* 1825. I. 338.

1826.

Voorrede voor de *Bijdragen tot de Natuurkundige Wetenschappen.*

Over eene verbeterde bereiding der olie voor horologiemakers. *Bijdragen tot de Natuurk. Wetens.* I. 1.

VERSCHUUR, Beschrijving der gewigten, met aanmerkingen van MOLL. *Bijdr.* I. 7.

Over eene vermoedelijke nieuwe ontdekking in den Oceaan. *Bijdr.* I. 84.

Account of the discovery of an inhabited island in the Pacific. By capt. REG. *Edemb. Journal of Science.* IV. 278.

Over het stoomschip *the Entreprise*, uit Engeland naar Indië gestevend. *Bijdr.* I. 176.

Nog iets over het Nederlandsch eiland. *Bijdr.* I.

Digitized by Google

Proeven over de snelheid des geluids. *Bijdr.* I. 191.

Over twee nieuw uitgevondene kompassen. *Bijdr.* I. 197.

Over het Amsterdamsche peil en de geschiedenis van hetzelve. *Bijdr.* I. 370.

Recensie van LOBATTO's Jaarboekje over 1826. *Bijdr.* I. 109.

Recensie over DE JONG's werkjen, getiteld: *de Amstel voor groote schepen bevaarbaar gemaakt.* *Bijdr.* I. 133, 203.

Bijdragen tot de geschiedenis der wiskundige wetenschappen in Nederland, in VAN KAMPEN, *Geschiedenis der Nederl. Letteren.* III. 112—116, 196, 261—263, 289—312.

1827.

PIERRE SIMON DE LA PLACE, in de *Bijdragen tot de Natuurkundige Wetenschappen.* II. 281.

Recensie van MAIJER's Handleiding tot het teekenen van Landkaarten. *Bijdr.* II. 22.

Rapport aan Zijne Majesteit, uitgebragt door de Commissie der beste rivierafleidingen.

Verhandeling over de spiegeltelescopen. *N. Verh. van het Kon. Inst. 3ste kl.* I. 29.

Over den warmtegraad waarbij het water zijne grootste dichtheid heeft. *N. Verh. van het Kon. Inst. 3ste kl.* I. 241.

Eenige electro-magnetische proeven. *Bijdr.* II. 372.

Nieuwe berekening van de proeven over de snelheid van het geluid. *Bijdr.* II. 375.

Digitized by Google

1828.

On Captain PARRY's and Lieutenant FOSTER's experiments on the velocity of sound by Dr. G. MOLL Prof. communicated by Captain HENRY KATERS V. P. R. S. In de *Philos. Transact.* 1828. 77.

Naschrift over de beschrijving van den toestel van HAGEMAN, om met stoom te kuipen. *Bijdr.* III. 4.

Recensie van CONRAD Leven van BRUNINGS. *Bijdr.* III. 1.

Waarneming van een lichtend luchtverschijnsel. *Letterb.* 1128. II. 238. *Astr. Nachr.* VII. 49.

Berechnung der Schallversuche von FORSTER und PARRY. POGGEND. *Ann.* XIV. 371.

Waarneming der komeet van ENCKE in 1828, door SOUTH te Kensington. *Letterb.* 1828. II. 334.

Over de snelheid van paarden, en in 't bijzonder over die onzer harddravers. In de *Bijdragen tot de Natuurk. Wetensch.* III. 8.

1829.

Antwoord van G. MOLL, Lid der gewezene Commissie tot onderzoek der beste rivierafleidingen aan Mr. J. G. VAN NES, Hoogheemraad van den Lekdijk bovendams, wegens eene Memorie van het Collegie van den Lekdijk bovendams, over het rapport door de Commissie tot onderzoek enz., uitgebragt. Amst. 1829. 4°.

De dood van Dr. WILLIAM HYDE WOLLASTON. In de *Bijdr. tot de Natuurk. Wetensch.* IV. 174.

Over het verwarmen van stookkassen met heet water. Uitgeg. door de 1ste klasse van het Instituut. Amst. J. Muller, 1829. 8°. met platen.

Digitized by Google

1830.

Electro-magnetische proeven. Uitgeg. door de 1ste kl. van het Instituut. Amst. J. Muller 1830. 8°. Ook in *de Bibl. Univers.* XXXXV. 19. *Edimb. Journ. of Science*, N°. 6. III. p. 289. *Journal of the Royal Institution.* 1831. p. 379. Een uittreksel is gegeven in QUETELET, *Correspond. Mathématique et Physique*, VI. 327, en overgenomen in de *Ann. de Chimie et de Physique*, L. 324.

Over diepe putten of kunstbronnen, door de Franschen Artesiaansche genaamd. In de *Bijdrag. tot de Natuurk.* V. 269.

Iets over de zoogenaamde Romeinsche cement. *Bijdr.* V. 400.

Eenig berigt aangaande de vergadering der Duitsche Natuurkundigen en Artsen, gehouden te Hamburg. *Letterb.* 1830. II. 375.

Brief over de verkiezing van eenen nieuwen voorzitter van *the Royal Society* te Londen. *Letterb.* 1830. II. 371.

Over de verwarming van stookkassen met warm water. *Bijdr.* V. 121.

Eenige berigten over hevige winters in deze landen. In de *Bijdr. tot de Natuurk. Wetensch.* V. 128.

1831.

Geschiedkundig onderzoek naar de eerste uitvinding der verrekijkers. *N. Verh. der 3de kl.* III. 103. *Journ. of the Royal Institution.* Febr. 1831. p. 319.

On the alleged decline of science in England by a Foreigner. Lond. 1831. 8°.

Over de kilogramme, en vergelijking van dezelve met het Hollandsch en Engelsch, Trooisch en andere gewigten. *Bijdr.* VI. 119.

Nog iets over Artesiaansche bronnen. *Bijdr.* VI. 334.

Electro-magnetische proeven. *Bijdr.* VI. 349. POGGEND. *Ann.* XXIV. 635.

Digitized by Google

Over verwarming met heet water. *Bijdr.* VI. 354.

Brief aan den redacteur van den *Letterbode*, behelzende waarnemingen van het Noorderlicht van 7 Jan. 1831. *Letterb.* 1831. I. 44.

Beobachtungen des Nordlichts von 7 Jan. 1831. POGGENDORFF *Ann.* XXII. 462.

Brief aan de redactie van den *Letterbode* (over de twee SCHUMACHERS te Hamburg, en over de onbrandbaarheid der ligchamen met eene oplossing van aluin bestreken). *Letterb.* 1831. I. 242.

Instorting van de kettingbrug te Broughton bij Manchester. *Letterb.* 1831. I. 341.

1832.

Electro-magnetische proeven. *Bijdr. tot de Natuurk. Wetensch.* VII. 241. POGGEND. *Ann.* XXIX. 468.

1833.

Mercurius in sole visus, of overgang van Mercurius over de zon, den 5 Mei 1832 te Utrecht waargenomen. *N. Verh. 1ste kl.* IV. 71. Ook afzonderlijk, Amst. 1833. 4°. *Astron. Nachr. v.* SCHUMACHER, X. 205. *Letterb.* 1833. I. 431.

Brief betrekkelijk eene aanmerking van den Heer QUETELET. *Letterb.* 1833. I. 82.

Iets over eene uitdrukking, voorkomende in de voorrede van Prof. H. W. TYDEMAN, geplaatst voor het eerste deel der geschiedenis des vaderlands van Mr. W. BILDERDYK. *Letterb.* 1833. I. 195. (Het antwoord van TYDEMAN. Ibid 244.)

Brief, behelzende proeven met zeer kleine galvanische toestellen. *Letterb.* 1833. I. 275.

Iets betreffende wijlen den Hoogleeraar JEAN HENRI PAREAU. *Letterb.* 1833. II. 89.

Digitized by Google

1834.

Brief over de verkeerde overzetting van het woord *chevrettes* in Duitsche journalen. *Letterb.* 1834. I. 297.

1835.

Quadratuur van den cirkel. *Letterb.* 1835. I. 104.

Winterkoude. *Letterb.* 1835. I. 176.

Brief over de hoogte van den Dom te Utrecht. *Letterb.* 1835. I. 354.

Recensie van BOELEN's. *Reize* (onder de letter M.). *Letterb.* 1835. II. 54. 1836. I. 137.

1836.

Dicta a GER. MOLL, d. 14 Julii 1836, quum A. C G. SUERMAN et A. VROLIK, Academiae Rheno-Trajectinae alteris, secularibus concelebrandis more majorum Math. Mag. Phil. Nat. Doctores renunciaret. *Ann. Acad. Rheno-Traj.* 1836.

Over de putboring op de heide tusschen Woudenberg en Zeist. *Letterb.* 1836. I. 82. (Het antwoord van BREDA. Ibid. 274.)

Iets over den catalogus der zuidelijke sterren, opgemaakt door FREDERIK DE HOUTMAN. *Letterb.* 1836. I. 2.

Over waarnemingen der getijen langs de kusten van Nederland. *N. Verh. der 3ste kl.* VII. 1.

Over de voorgewende ontdekkingen van Sir JOHN HERSCHEL in de maan. *Letterb.* 1836. I. 211.

Brief over den Florentijnschen sprong. *Letterb.* 1836. I. 224.

Bijdragen over afleiders en het onweder. *Letterb.* 1836. N°. 21, 22, 36 en 50.

Digitized by Google

Brief over den toestand der Astronomie in Frankrijk. *Letterb.* 1836. II. 130.

Over het Palludium. *Letterb.* 1836. II. 116.

Over de luchtreis van GREEN van Londen naar Weilburg. *Letterb.* 1836. II. 371.

1837.

Over het niet bestaan van een werk van SEBASTIAAN CABOT. *Archief* van Mulder. V. 214.

Barometerstand gedurende den storm van 29 Nov. 1836. *Letterb.* 1837. I. 13.
Over afleiders en het onweder. *Letterb.* 1837. I. 82.

Iets over JACOB MAURITS CAREL BARON VAN UTENHOVE VAN HEEMSTEDE. *Letterb.* 1839. N°. 34, 35.

Digitized by Google

MOLLII MUNERA ET TITULI.

1807.	Decemb.	Directeur der astronomische waarnemingen op het observatorium der Maatschappij *Felix Meritis*.
1809.	Junij.	Kandidaat in de philosophie aan de Universiteit te Leyden.
1812.	14 Julij.	Directeur van het keizerlijk observatorium te Utrecht.
»	20 Octob.	Hoogleeraar te Utrecht, (geïnstalleerd in December).
»	7 Decemb.	Korrespondent der 1°. klasse van het Nederlandsch Instituut.
1813.	19 Junij.	Lid van het provinciaal Utrechtsch Genootschap.
1814.	19 Octob.	Honorair lid van het natuur- en scheikundig Genootschap te Groningen.
»	28 Octob.	Doctor in de wis- en natuurkunde te Utrecht, honoris causa.
1816.	3 Novemb.	Lid der 1°. klasse van het Koninklijk Nederlandsch Instituut.
1817.	17 Mei.	Lid der Hollandsche Maatschappij van wetenschappen te Haarlem.
1819.	29 Decemb.	Lid van het Zeeuwsch Genootschap der wetenschappen te Middelburg.
1820.	13 Julij.	Lid der Nederl. huishoud. Maatschappij te Haarlem.
1821.	15 Maart.	Lid der commissie tot onderzoek der beste rivierafleidingen. (Deze commissie werd bij Kon. besl. van 11 Jan. 1826 ontbonden.)
»	11 Mei	Geassocieerde van de Astronomical Society te Londen.
»	29 Junij	Directeur van het Provinciaal Utr. Genootschap.
»	19 Septemb.	Ridder der orde v. d. Nederl. Leeuw.
1823.	22 Julij.	Lid consultatief van het Bataafsch Genootschap te Rotterdam.
1824.		Lid van de Royal Society van Schotland.

Digitized by Google

1825.	10 April.	Buitengewoon honorair lid van het Collegie Zeemanshoop.
»	30 Junij.	Lid der maatsch. van Nederl. Letterkunde te Leyden.
1826.	20 Maart.	Lid der Commissie tot het examineren van Zeeofficieren.
1827.	13 Julij.	Directeur der Nederl. Huishoud. Maatschappij te Haarlem.
1828.	7 Mei.	Lid der Koninklijke Academie van wetenschappen te Brussel.
1829.	22 April.	Buitengewoon lid van verdienste van het wiskund. Genootschap: *Eene onvermoeide vlijt komt alles te boven*, te Amsterdam.
1834.	13 Sept.	Burger der stad Edimburg.
»	15 Nov.	Doct. in de regt. te Edimburg, honoris causa.
1835.	August.	» » » » » Dublin, » »
1836.		Honorair lid van de South African literary and scientific Institution aan de Kaap de Goede Hoop.

Digitized by Google

RES ACADEMICAE.

ANNO MDCCCXXXVII.

Die 6 Junii, Rege Augustissimo Trajectinam urbem visitante, Senatus Amplissimus salutandi gratia Regem adiit. Qua occasione vir Nob. VAN DER CAPELLEN, Curatorum Praeses, verba fecit et Academiae commoda Regi commendavit. Ad quae Rex benigne et humaniter respondit.

ANNO MDCCCXXXVIII.

Die 18 Januarii ad Senatum tristissimus nuntius allatus est de obitu conjunctissimi collegae GERARDI MOLL, qui Amstelodami, ubi per ferias morabatur, gravi morbo oppressus hesterno die vita cesserat.

Decreto Regio d. 25 Februarii RICHARDUS VAN HEES, antea disciplinarum mathematicarum et physicarum Professor in Academia Leodiensi, ab anno vero 1830 Academiae Rheno-Trajectinae adjunctus, in cathedram MOLLII obitu vacantem vacatus est.

Die 17 Martii literis a Curatoribus datis Senatus certior factus est, desideratissimum MOLL, locupletem suam librorum, imaginum virorum doctorum, mapparum geographicarum, instrumentorum denique physicorum et astronomicorum supellectilem testamento Academiae Rheno-Trajectinae legasse.

Digitized by Google

Die 26 Martii in Senatum venerunt Academiae Curatores viri Amplissimi, quorum Praeses RICHARDO VAN REES, designato proximi anni Rectori, postquam solemne jusjurandum praestiterat, novos honores gratulatus est, et anni mox exacti Rectori LUDOVICO GERARDO VISSCHER pro fide et curâ in magistratu obeundo praestitis gratias egit. Cui gratulationi quum novus Rector humaniter respondisset, curatores comitante universo Senatu virum cl. VISSCHER in cathedram detulerunt, qui orationem habuit de GERARDO MOLL, simul enarrans quae Academiae, ipso Rectore, cum laeta tum tristia accidissent.

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

in annum MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII *proposita.*

RECTORE

LUD. GER. VISSCHER.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM docebunt

Logicam atque *Anthropologiam* I. F. L. SCHRÖDER, diebus lunae atque saturni, hora IX.

Doctrinam Moralem I. F. L. SCHRÖDER, diebus iovis et veneris, hora II.

Literas Latinas A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, iovis, veneris et saturni, hora XI. interpretando cum Ciceronis *Tuscul. Quaest.* Lib. II et III. tum Horatii *Epistolas.*

Antiquitatem Romanam A. VAN GOUDOEVER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X.

Exercitationes Paedagogicas moderabitur A. VAN GOUDOEVER, die mercurii, hora I. et die saturni, hora XII.

Literas Graecas tradet PH. G. VAN HEUSDE, interpretando Platonis *Phaedone*, adiunctis *Quaestionibus Platonicis*, die lunae, horâ XI, et diebus martis, iovis et veneris, hora I.

Literas Hebraicas I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, cum interpretanda *Grammatica*, tum *eius*, ut et *Syntaxeos* usu in legendis quibusdam V. F. capitibus historicis monstrando, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora II.

Literas, cum *Aramaeas*, tum *Arabicas*, I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus mercurii, hora VIII. et veneris, hora I.

S

Digitized by Google

Antiquitatem Hebraicam I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora VIII.

Caeterum provectiorum commilitonum desideriis, diebus iovis, hora I. quoad poterit, satisfaciet libentissime I. C. SWYGHUYSEN GROENEWOUD.

Historiam gentium, praesertim *gentium Orientalium*, PH. G. VAN HEUSDE, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora XII.

Historiam Historicorum, cum Veterum, tum Recentiorum, PH. G. VAN HEUSDE, diebus mercurii, hora XII. et saturni, hora XI.

Literas Belgicas et literarum Belgicarum Historiam L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis, veneris et saturni, hora X.

Praecepta Styli bene Belg. L. G. VISSCHER, diebus martis, iovis et saturni, hora I.

Historiam Patriae L. G. VISSCHER, diebus lunae et martis, hora XI. iovis, hora X. et saturni, hora XI.

Poëtarum principum Belg. selecta loca L. G. VISSCHER, diebus iovis et veneris, hora IV.

Antiquitatem Germanicam exponere perget L. G. VISSCHER, diebus martis et mercurii, hora IV.

Disputandi excercitationibus, sermone vernaculo habendis, praeerit alternis hebdomadibus, die lunae, hora IV. L. G. VISSCHER.

Disputandi exercitationibus praeerunt alternis hebdomadibus, die saturni hora I., alternatim PH. G. VAN HEUSDE et A. VAN GOUDOEVER.

G. DORNSEIFFEN, *Lit. Human. Lector*, *Recentioris Europearum gentium Historiae conspectum* patrio sermone tradet diebus mercurii, hora II. *Latine loquendi exercitia instituet*, diebus saturni eadem hora, aliave magis commoda.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS, docebunt

Elementa Matheseos I. F. L. SCHRÖDER, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Stereometriam, *Trigonometriam Sphaericam*, *adhibitam ad Astronomiam*

Digitized by Google

Sphaericam et Geographiam Mathematicam I. F. L. SCHRÖDER, die veneris atque saturni, hora VIII.

Collocutionibus de ratione docendi disciplinas Mathematicas vacabit I. F. L. SCHRÖDER, hora postea indicanda.

Geometriam describentem R. VAN REES, diebus lunae, mercurii et veneris, hora X.

Calculum differentialem et intregralem R. VAN REES, diebus martis, iovis et saturni, hora X.

Mechanicam analyticam R. VAN REES, diebus lunae, mercurii, veneris et saturni, hora IX.

Physicam experimentalem G. MOLL, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora I.

Astronomiae primas notitias G. MOLL, diebus lunae, martis, iovis et veneris, hora IX. vel alia, auditoribus magis commoda.

Astronomiam theoreticam et practicam G. MOLL, iisdem diebus, hora III.

Elementa Hydrotechniae, ad praesentem conditionem Patriae adplicata, si sufficiens numerus auditorum adsit, Belgico sermone exponet G. MOLL, hora deinceps indicanda.

Chemiam generalem et applicatam N. C. DE FREMERY, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora XII.

Elementa Chemiae Regni organici, praesertim animalis. P. J. I. DE FREMERY, diebus veneris et saturni, hora IX.

Chemiam, artibus adhibitam, P. J. I. DE FREMERY, die martis, horâ pomeridianâ VI — VIII.

Iis, qui instituendis operationibus chemicis operam dare cupiunt, praerit P. J. I. DE FREMERY, diebus et horis, auditoribus commodis.

Botanices et physiologiae plantarum elementa C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora X.

Oeconomiam ruralem C. A. BERGSMA, diebus et horis, auditoribus commodis.

Excursionibus botanicis singulis hebdomadibus praeerit C. A. BERGSMA.

Botanicam et Physiologiam plantarum I. KOPS, licet propter aetatem rude donatus, diebus et horis, auditoribus commodis.

Historiam naturalem Mammalium, Avium, Reptilium et Piscium exponet

Digitized by Google

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, diebus lunae et martis, hora XI. *Caeterorum* autem *animalium*, *vertebris carentium*, *historiam*, duce V. Cl. I. van der Hoeven, die mercurii, eâdem horâ.

Anatomiam comparatam tradere perget TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE, die saturni, hora I.

Mineralogiam et Geologiam N. C. DE FREMERY, diebus iovis et veneris, hora XI.

Oeconomiam ruralem I. KOPS, diebus et horis auditoribus commodis, in Museo regio iustrumentorum ruralium.

Disputandi exercitationibus, die saturni, horâ I, alternatim praeerunt Professores in Facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis, singuli in partibus, sibi demandatis.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Theologiae naturalis historiam exponet H. BOUMAN, diebus iovis et veneris, horâ IX.

Patristicam, interpretandis *Selectis Patrum Graecorum*, duce *Chrestomathia* sua *Patristica*, (Vol. II. Trai. ad Rh. 1837.) exponet H. I. ROYAARDS, die iovis, hora XII.

Historiam Ecclesiasticam antiquam tradet H. I. ROYAARDS, diebus lunae et martis, hora XII.

Historiam dogmatum Christianorum antiquam narrabit H. I. ROYAARDS, die mercurii, hora II.

Disquisitionibus de Hist. Eccl. Christ., probationi academicae praeviis, vacabit H. I. ROYAARDS, die iovis, hora II.

Ius Ecclesiasticum Belgicum hodiernum apud Reformatos, duce Compendio suo *Hedend. Kerkregt der Hervormden in Nederland*, Vol. II. Utr. 1837.) explicabit H. I. ROYAARDS, die iovis, hora I,

Criticas lectiones in V. et N. T. loca difficiliora habebit H. BOUMAN, die iovis, horâ X.

Hermeneuticae sacrae partem priorem exponet H. BOUMAN, diebus lunae et martis, horâ X.

Digitized by Google

Iesaïae vaticinia explicare perget H. BOUMAN, diebus veneris, hora X.

Paulina nonnulla scripta interpretabitur H. BOUMAN, diebus lunae et martis, horâ IX.

Theologiam dogmaticam docebit H. E. VINKE, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora XI.

Collocutionibus de Theologia populari vacabit H. E. VINKE, die iovis, hora vespertina VII.

Theologiam moralem docebit H. I. ROYAARDS, diebus lunae, martis et mercurii, hora I.

Praecepta *homiletica*, cum *Excercitationibus oratoriis sacris* coniuncta, tradet H. E. VINKE, diebus lunae, mercurii et saturni, hora VIII.

Officia doctorum et antistitum in Ecclesia Christiana exponet I. HERINGA, E. F. diebus martis, iovis et veneris, hora VIII.

Puerorum, doctrinae Christianae initiis *erudiendorum*, exercitationem instituet H. E. VINKE, die veneris, hora XI. et Theologiae Candidatis subinde aegrotos secum invisendi copiam faciet.

Commilitonibus, *orationes* habentibus *sacras*, praesides aderunt I. HERINGA, E. F. die martis, horâ I. H. BOUMAN, die lunae, horâ I. H. I. ROYAARDS, die veneris, horâ I. et H. E. VINKE, die iovis, horâ I.

Publicis *disputandi* exercitationibus praeerunt alternatim, die mercurii, hora I. I. HERINGA, E. F., H. BOUMAN, H. I. ROYAARDS, et H. E. VINKE.

IN FACULTATE JURIDICA, docebunt

Pandectas, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora X, H. ARNTZENIUS; qui, propter aetatem honorifice rude donatus, suam operam et consilia commilitonibus offert.

Ius Belgicum, ad ductum linearum Iur. Civ. Holland., descriptarum a Cl. N. Smallenburg, I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Encyclopaediam iuris I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, hora X, mercurii et veneris, hora XI.

Digitized by Google

Elementa Oeconomiae politicae I. R. DE BRUEYS, diebus lunae, martis et iovis, hora XI.

Ius Mercatorium et Maritimum A. C. HOLTIUS, diebus mercurii, veneris et saturni, hora XI.

Institutiones Iustiniani A. C. HOLTIUS, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora IX.

Historiam Iuris Romani privati ad Constantinum, secundum sua *Lineamenta*, (quae prostant apud Academiae Typographum) A. C. HOLTIUS, diebus lunae et veneris, hora I, die saturni, hora IX.

Historiam gentium recentiorum politicam I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XII.

Rerumpublicarum, inprimis patriae, notitiam I. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, hora XII.

Ius Naturale I. F. M. BIRNBAUM, diebus martis, iovis et veneris, hora VIII.

Ius Publicum et Gentium I. F. M. BIRNBAUM, diebus lunae et saturni, hora X, die martis, hora IX.

Ius Criminale I. F. M. BIRNBAUM, diebus lunae, mercurii, iovis et saturni, hora IX.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, praeerunt Professores in facultate Iuridica.

IN FACULTATE MEDICA, docebunt

Anatomiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, quater per dierum hebdomadem, horâ IV.

Physiologiam I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, diebus lunae, martis et iovis, horâ VIII. matutinâ, die mercurii, horâ IX.

Anatomiam Pathologicam, bis per dierum hebdomadem, I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK, horâ auditoribus commodâ.

Dissectionibus cadaverum Anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Pathologiam exponet B. F. SUERMAN, ter per dierum hebdomadem, hora IX.

Digitized by Google

Doctrinam de cognoscendis et curandis hominum morbis I. I. WOLTERBEEK, quater, hora XII.

Therapiam generalem et apparatum medicaminum exponet I. I. WOLTERBEEK, quater, hora I.

Pharmaciam, vernaculo sermone, N. C. DE FREMERY, diebus lunae et martis, hora II.

Examen aegrotantium et Semeioticam I. I. WOLTERBEEK, in Nosocomio Academico, hora X.

Institutionibus clinicis morborum internorum vacabit I. I. WOLTERBEEK, singulis diebus, in Nosocomio Academico.

Praxin chirurgicam tradet B. F. SUERMAN, quater per dierum hebdomadem, hora VIII.

Operationes chirurgicas demonstrabit B. F. SUERMAN, tempore hyemali, quater per dierum hebdomadem, hora V.

Institutionibus in arte chirurgica, quovis die, vacabit B. F. SUERMAN.

Theoriam artis obstetriciae I. I. WOLTERBEEK, die martis, iovis et veneris, hora IX.

Institutionibus obstetriciis, imprimis practicis, in Nosocomio habendis vacabit I. I. WOLTERBEEK.

Politiam medicam tradet N. C. DE FREMERY, diebus mercurii et saturni, hora VIII.

Disputandi exercitationibus, alternis hebdomadibus, Professores in Facultate Medica praeerunt.

I. BLEULAND, licet propter aetatem honorifice rude donatus, commilitonibus, qui explicationem accuratiorem speciminum Anatomicorum et Pathologicorum, in Museo praesentium, desiderabunt, sua officia, quantum valetudo permittet, offert.

F. S. ALEXANDER, *Profr. honorarius*, institutionibus clinicis in Nosocomio militari, singulis diebus horâ undecimâ vacabit.

Digitized by Google

I. H. KOCH, *Linguae Germanicae grammaticam* et *historiam literariam* interpretabitur, horâ auditoribus commodâ.

Literas Francicas tradet G. C. VENERET, diebus lunae et iovis, hora V.

Literas Anglicas tradet C. THOMPSON, diebus lunae et iovis, hora IV.

L. DE FRANCE, *Academicus gladiatoriae artis Magister*, quotidie aptum et elegantem gladii usum docebit.

Bibliotheca Academica, diebus lunae, martis, iovis et veneris, ab hora I ad II; diebus mercurii et saturni ab hora I ad IV; et feriarum tempore singulis diebus iovis, ab hora I ad II unicuique patebit.

Museum quoque zoölogicum, tam huius Academiae, quam privatum in aedibus Professoris Historiae Naturalis, cuique roganti patebit.

Digitized by Google

SERIES
DISSERTATIONUM INAUGURALIUM
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
DEFENSARUM

a d. XXVII *Martii.* MDCCCXXXVII *ad d.* XVI *Martii.* MDCCCXXXVIII.

ANNO MDCCCXXXVII.

d. 18 Martii. Dissertatio chemico-medica *de Gentianino*, privatim defensa a PETRO HENRICO POOL, Neomago-Gelro, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 8 Aprilis. Disquisitio anatomico-physiologica *de sanguinis circuitu in cerebro*, privatim defensa a GISBERTO DE CLERCQ, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 2 Maji. Dissertatio Juridica *de obligationibus dividuis et individuis*, privatim defensa ab ALBERTO EIKKERT SCHOTBORGH, ex insula Curacao, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 27 Maji. Disquisitio anatomico-pathologica *de plexubus choroideis*, privatim defensa a JOANNE MARIA EDUARDO VAN GHERT, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 31 Maji. Disputatio Juridica *de peculiari navium maritimarum dominio*, privatim defensa a JANO GISBERTO THIERRY DE BYE, Amisfurtensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 7 Junii. Specimen Juridicum *de litis instantiae, in causis civilibus, peremptione*, privatim defensum a CHRISTIANO VERWAYEN, Neomago-Gelro, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

T

Digitized by Google

d. 17 Junii. Specimen Juridicum continens observationes quasdam *de periculo rei venditae nondum traditae*, defensum privatim a GUILIELMO JANO MEES, Appingadamensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

Eod. die Dissertatio Juridica *de vero sensu verborum: « pourvu qu'il en soit justifié, » quae occurrunt art.* 68, § 3, n°. 2, *legis de registratione d.* 22 *Frim. an* 7, privatum defensa a DANIELE STEPHANO JANO VAN ROYEN, Drentino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 20 Junii. Dissertatio Physica *de bilancibus*, publice defensa a MATTHAEO CHRISTIANO MENSING, Roterodamensi, pro gradu Matheseos Magistri, Philosophiae Naturalis Doctoris, cum laude.

d. 21 Junii. Specimen Literarium *in cohortis sacrae apud Thebanos historiam*, publice defensum a JANO JACOBO KREENEN, Velpia-Gelro, pro gradu Philosophiae Theoreticae Magistri, Literarum Humaniorum Doctoris, magna cum laude.

d. 22 Junii. Specimen Historico-Juridicum *de jure circa aggerum aquarumque curam in insula Walacriae constituto*, publice defensum a GUILIELMO ADRIANO SNOUCK HURGRONJE, Medioburgensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

Eod. die Specimen Hermeneutico-Theologicum *de membrorum concinnitate in Pauli ad Romanos epistola*, publice defensum ab ARNOLDO MARINO SNOUCK HURGRONJE, Medioburgensi, pro gradu Doctoris Theologiae, magna cum laude.

Eod. die Specimen Juridicum *de mutuo secundum principia Juris Hodierni*, privatim defensum a LAMBERTO KNIPHORST, Assena-Drenthino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 24 Junii. Specimen Juridicum *de praecipuis juris novissimi Belgici et Francici differentiis ratione absentium*, privatim defensum a

Digitized by Google

JANO IGNATIO DANIELO NERVEU, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

Eod. die Diatribe *in Johannis Wicliffi, reformationis prodromi, vitam, ingenium, scripta*, publice defensa a SARO ADRIANO JACOBO DE RUEVER GRONEMAN, Alphensi, pro gradu Doctoris Theologiae, magna cum laude.

Eod. die Disquisitio Anatomico-Pathologica *de cranii regeneratione*, privatim defensa a DIDERICO VAN DOCKUM, Vespensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 30 Junii. Specimen Medicum *de Phloridzine*, privatim defensum ab ANDREA ADRIANO ANTONIO BARNING, Leidensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 1 Julii. Dissertatio Chirurgica exhibens duas observationes *de fungoso excrescente*, privatim defensa a DIDERICO LUCA VAN HATTUM, e pago Schoonrewaerd, pro gradu Doctoris Medicinae.

Eod. die Dissertatio Medica *de veratrino, ejusque usu medico observationibus clinicis investigato*, privatim defensa a CORNELIO CONSTANTINO ROËLL, Wellensi-Gelro, pro gradu Doctoris Medicinae, magna cum laude.

d. 10 Octobris. Dissertatio Medica *de effluviis paludosis*, publice defensa a CORNELIO PEKELHARING, e pago 's Graveland, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

Eod. die Dissertatio Anatomico-Pathologica *de morbis organorum urinam secernentium ac deferentium*, publice defensa a GUILIELMO GEORGIO WEHLBURG, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 25 Octobris. Specimen Juridicum *de fide exemplorum ex instrumentis originalibus descriptorum*, privatim defensum a JACOBO HEYDANUS, Vespensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

Digitized by Google

d. 3 Novembris. Dissertatio Medica *de scorbuto*, privatim defensa a CORNELIO DE KLYN, e pago Waspik, pro gradu Doctoris Medicinae.

d. 21 Novembris. Specimen Pathologico-Medicum *de mutationibus formae ossium vi externa productis*, publice defensum a GERARDO HULSHOFF, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Medicinae, magna cum laude.

d. 30 Novembris. Dissertatio Medico-Obstetricia *de diagnosi graviditatis verae a spuria atque morbis graviditatem simulantibus*, privatim defensa ab HENRICO PHILIPPO VAN DEN BERGH, e pago Demen, pro gradu Doctoris Medicinae, cum laude.

d. 14 Decembris. Specimen Juridicum *de libera voluntate ad delictum contrahendum necessaria*, publice defensum a CHRISTIANO GUILIELMO EVERARDO VAILLANT, Amstelodamensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, magna cum laude.

d. 20 Decembris. Specimen Juridicum *de contractu redituum vitalitiorum ex jure novissimo*, privatim defensum a RICHARDO JOHANNE GUILIELMO CORNELIO DE NERÉE, Arnhemiensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 21 Decembris. Dissertatio Juridica *de communione bonorum legali inter conjuges, imprimis secundum jus novum Hollandicum*, privatim defensa a GUILIELMO LEONARDO VAN HEECKEREN VAN BRANDSENBURG, Rheno-Trajectino, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 22 Decembris. Dissertatio *de adoptione secundum codicem civilem*, privatim defensa a WYNANDO GISBERTO DE KNOKKE VAN DER MEULEN, e pago Oss, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

Eod. die. Dissertatio Juridica *de hereditatis divisione ab ascendentibus inter descendentes facta*, privatim defensa a JOANNE GUILIELMO HEYDANUS, Vespensi, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni.

d. 23 Decembris Dissertatio sistens *Influenzae in Belgio septentrionali historiam*, privatim defensa a GUILIELMO CORNELIO VAN DE WERK, e pago Erp, pro gradu Doctoris Medicinae, magna cum laude.

Digitized by Google

ANNO MDCCCXXXVIII.

d. 21 Februarii. Dissertatio Juridica *de instrumentis recognitivis et confirmativis*, privatim defensa a CAROLO FREDERICO SPIERING, Tiela-Gelro, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

d. 22 Februarii. Specimen Juridicum *de juris Francici et novissimi Belgici differentiis, ratione formae testamentorum*, privatim defensum a GUILIELMO STEPHANO VAN DER GRONDEN, Zwollano, pro gradu Doctoris Juris Romani et Hodierni, cum laude.

Digitized by Google

NUMERUS ADOLESCENTIUM STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

ANNO MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

In Facultate Theologiae		127
» »	Juris	122
» »	Medicinae	91
» »	Matheseos et Philosophiae Naturalis	49
» »	Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum	137
		526

Praeterea septem juvenes examinum subeundorum causa hujus Academiae Studiosis adscripti sunt, quamvis alibi studia sua prosequantur.

Digitized by Google

ANNALES ACADEMIAE

GRONINGANAE.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

PER ANNUM ACADEMICUM MDCCCXXXVII — MDXXXVIII

IN ACADEMIA GRONINGANA

MUNERE SUO FUNCTI SUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

CORNELIUS DE WAAL.

PROFESSORES

IN FACULTATE THEOLOGICA.

JOANNES FREDERICUS VAN OORDT, J. G. FIL., Theol. Doct.
PETRUS HOFSTEDE DE GROOT, Theol. Doct.
LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. et Theol. Doct.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL A. L. M. Phil. et J. U. Doct.
GERARDUS WOLTERS.
JANUS TEN BRINK, J. U. Doct.
BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS, J. U. Doct.
GERARDUS JOHANNES MEIJER, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doct.
FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. Doct.
PETRUS VAN LIMBURG BROUWER, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. et Med. Doct.

Digitized by Google

IN FACULTATE JURIDICA.

HENRICUS NIENHUIS, Jur. Rom. et Hod. Doct.
JACOBUS HERMANNUS PHILIPSE, Jur. Rom. et Hod. Doct.
CORNELIUS STAR NUMAN, Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. et Juris Rom. et Hod. Doct.

IN FACULTATE MEDICA.

SIBRANDUS ELZO STRATINGH, Med. Doct.
AUGUSTUS ARNOLDUS SEBASTIAN, Med. Chirurg. et Art. Obstet. Doct.
JACOBUS BAART DE LA FAILLE, A. L. M. Phil. Med. et Art. Obstet. Doct.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

THEODORUS VAN SWINDEREN, A. L. M. Phil. et J. U. Doct.
SIBRANDUS STRATINGH, E. FIL. A. L. M. Phil. et Med. Doct.
HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL, Med. Doct.
JANUS GULIELMUS ERMERINS, Math. Mag. Phil. Nat. et Med. Doct.

Digitized by Google

PETRI HOFSTEDE DE GROOT

ORATIO

DE

ECCLESIAE CHRISTIANAE, QUAE NOSTRIS TEMPORIBUS CERNITUR COMMOTIONE, SIC REGUNDA, UT ECCLESIA AD IPSUM DUCATUR JESUM CHRISTUM ACCURATIUS COGNOSCENDUM ET ARDENTIUS AMANDUM.

PUBLICE DICTA,

QUUM RECTORIS

ACADEMIAE GRONINGANAE

MAGNIFICI MUNERE ABIRET,

DIE XI OCTOBRIS MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

QUI HUNC ACTUM SOLENNEM PRAESENTIA VESTRA CONDECORATIS, VIRI AMPLISSIMI, CLARISSIMI, DOCTISSIMI, FACUNDISSIMI! JUVENES PRAESTANTISSIMI! CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO SPECTABILES!

AUDITORES EXOPTATISSIMI!

In praesenti Ecclesiae Christianae conditione, de qua nemo silet, non dico, qui Theologus, sed qui Christianus est, id inprimis est memorabile, quod pedetentim moveatur magisque mutetur res omnis Ecclesiastica. De hoc vero eventu, uti dubitat nemo, ita alii aliam dicunt sententiam. Sunt qui intelligant, non intelligant; qui damnent, laudent; igitur etiam, qui impedire conentur, qui promovere. Hac solennitate, qua fasces Academicos praeviâ oratione deponere mihi incumbit, de eâ re tacere, de qua nemo non loquitur, et nolebam, et vero turpe putabam. Nec tamen hoc mihi sumo, ut hanc ipsam Ecclesiae commotionem, quae jam cernitur, dijudicem, eamve aut probem aut damnem. Conabor aliud agere; longe gravius, fateor, sed etiam longe utilius, meam qualemcunque declaraturus sententiam, quorsum videatur dirigenda haec, quae adest, animorum Christianorum agitatio. Dicam igitur *de Ecclesiae Christianae, quae nostris temporibus cernitur commotione, sic regundâ, ut Ecclesia ad ipsum ducatur Jesum Christum accuratius cognoscendum et ardentius amandum.*

Quod argumentum exponenti, vos, Auditores Humanissimi, auribus animisque mihi faveatis, spirituque suo sancto, sapiente, facundo auxilietur Deus Optimus Maximus

Digitized by Google

Quando hîc de *nostris* loquimur *temporibus*, non intelligimus proxime elapsos annos, ne lustra quidem modo posteriora quinque vel decem; sed tempora, quae nostram parentumque nostrorum complectuntur aetatem, imo quae initium habuerunt a medio fere seculo superiore, a quo novam in Ecclesia ortam esse sentiendi, dicendi, agendi rationem, nemo est, quin agnoscat. *Ecclesiam Christianam* spectamus hîc omnem, non modo hanc illamve Ecclesiae familiam. Nam inde a superiore seculo medio nata quidem est haec ratio nova et vires sensim majores cepit in Germania Protestanti; at serpsit deinde quaquaversum et caput extulit cum inter Romano-Catholicos in Germania degentes, tum inter omnes omnium regionum Europaearum et Americanarum Protestantes; denique hisce diebus vel inter Romano-Catholicos in Francia, Belgio, Hispania habitantes, sese prodere incipit: quin ne Graecos quidem reliquit intactos. Quare Ecclesiam hîc volo Ecclesiam Christianam totam, quippe cujus nulla non familia commotione istâ non aliquatenus afficitur. — At *commotio* haec, de qua noster erit sermo, qualis quantaque est? Ejus fons cernitur in hac, quae mox omnibus communis facta est, persuasione, loco consuetudinis a patribus acceptae, secundum quam pleraeque jamdudum fiebant res, sequendam ab hominibus esse suum ipsorum de rebus agendis judicium; quod judicium, quum jam in civitate regundâ, in jure dicendo, in literis excolendis, verbo in omni sectarentur negotio, illud Ecclesiae melius ordinandae non adhibere nefas habebant. Si cui enim alii instituto, erat Ecclesiae Christianae proprietas haec, quod pedetentim magis perfici et possit et velit, adeoque hominibus Christianis negabant licere vetusta semper denuo crepare placita, sed iis incumbere officium antiqua permutare novis, simulac illa rationi humanae semper progredienti, falsa esse apparebant. E quo principio non poterant non eo procedere, ut libros suae quique Ecclesiae symbolicos, doctrinam antiquam, consuetudini potius quam rationi innixam, continentes, primum minoris aestimarent, mox contemnerent, tandem respuerent. At levis erat opera brevique peracta, haec, quae merito et immerito videbantur inepta, rejicere; gravis est, difficilis, nondum perfectus diuque nondum perficiendus labor, in istorum rejectorum locum meliora sufficere, sive nova recens excogitata, sive vetusta accuratius explicita. Atque a plerisque quidem, maxime a Protestantibus nunc commendabatur Sacra Scriptura, quam legerent et ediscerent omnes

Digitized by Google

Christiani, et e qua quid sibi credendum agendumque esset, derivarent ipsi. Verum de hac Sacra Scriptura quaestiones mox oriebantur innumerae, necdum ad exitum perductae, quum nondum omnibus constet, quaenam hujus sit fides, quisnam ambitus, quodnam pretium, quaenam doctrina. Rem non exaggero, Auditores. Dubitant multi de historica multorum librorum Veteris et Novi Foederis fide; dubitant, num haec illave scripta Codicis Sacri ambitu contineri mereantur; dubitant, quodnam horum Scriptorum Sacrorum doctrinae sit tribuendum pretium, rationi humanae aequale, an hac vel inferius vel superius; dubitant, quaenam sit ipsa Codicis Sacri de Deo, de Jesu Christo, de homine hominisque cum Deo et Christo conjuntione doctrina.

At de commotione locutus sum, quae Theologiam potius, quam Ecclesiam spectasse videtur. Sed reputetis, Auditores, hasce quaestiones Theologicas esse lites factas Ecclesiasticas, quibus multi resonarunt suggestus sacri, quaeque separationum multarum, quae dicuntur, sive novarum Ecclesiae familiarum ortarum, in multis Europae regionibus fuerunt causa. Reputetis, hinc lites factas esse domesticas; lites civiles in curiis disquisitas; lites judiciales, a tribunalibus saepissime diremtas; saepissime tractatas, volebam dicere, numquam sic diremtas, ut in sententia dicta acquiescerent litigantes.

Nec tamen haec tanta rei Christianae commotio solummodo cernitur vel in Theologiâ immutatâ vel in Ecclesiae pace ruptâ. Illud rei Christianae perficiendae studium, de quo loquebar, tanquam Theologiae immutatae et Ecclesiae turbatae causâ, meliores etiam peperit fructus, quum sese patefecerit quoque vitâ novâ, e fide ortâ, amore plenâ. Conspicua est haec vita nova maxime societatibus beneficis atque institutis salutaribus, quae coecis quasi visum, surdis ac mutis quasi auditum et loquelam, orphanis parentes, rudibus institutionem, Gentilibus Euangelium nunc sic praebent, uti nulla unquam prior Ecclesiae aetas idem conata est agere. Quare hanc Ecclesiae commotionem ita describere licet, ut sit rei Christianae totius agitatio, e doctrinae et vitae Christianae perficiendae studio orta.

De hac vero commotione *regundâ* verba facere in animo habebam. Quae dictio, quid significet, intelligunt omnes; an rem justam, dubitant forte nonnulli. Nam Ecclesiae commotionem regere videri potest, non esse regis, jure constituti, sed tyranni, imperium usurpantis. At nolo vim Christiani hominis inferri libertati: volo, nemini licere, aut ignaviâ correpto, aut formi-

Digitized by Google

dine oppresso, ut taceat nihilque agat in hac tantâ studiorum et opinionum discrepantiâ, ut, quam citissime rite fieri hoc possit, ex Ecclesiae commotione Ecclesiae oriatur instauratio, doctrina purior, vita sanctior; volo, quod volebat Solon, quum, reipublicae e commotione periculosâ brevi liberandae causa, capite sanciret, si quis in seditione non alterius utrius partis fuisset. Nam motu, id est vitae et progressionis signo, carere quidem nequit Ecclesia Christiana, quae si esset immota, aut lapis esset aut cadaver; nec tamen in commotione tantâ et tam gravi, quam nunc adesse cernimus, sine magno multorum Christianorum vitae periculo permanere diu potest.

Haec igitur est res, in quam inquirimus, de qua, jam satis, ut spero, intellectâ, duas proponimus quaestiones disceptandas, priorem: *Quidni haec, quae jam adest Ecclesiae commotio, sic videatur regunda, ut Ecclesia ad hanc illamve reducatur conditionem praeteritam?* Cui si negando erit responsum, videbimus de posteriore: *Quare illa commotio sic sit regunda, ut ad ipsum Jesum Christum accuratius cognoscendum ardentiusque amandum ducatur Ecclesia?*

Priora Ecclesiae Christianae secula mente lustrantes, ut videamus, *annon ex praesenti commotione Ecclesia ad hanc illamve conditionem praeteritam reduci possit*, facile sistimus pedem ad illam rei Christianae aetatem, qua ipse Dominus primique Domini Jesu Discipuli in terris degebant, quae annon instaurari possit, nobiscum reputamus. Verum quaestione vix factâ, hanc incogitate fieri sentimus. Nam *commotam* nostram Ecclesiam num ad *stabilem* aliquam formam priorem reducere possimus, rogabamus. Jam vero primâ istâ Ecclesiae aetate, qua, ut ipsius Jesu utar imagine, erat Ecclesia modo sinapi semen in terram injectum, erat Ecclesia, ut Pauli sententiam addam, in conditione infantili, e qua in adultam ei erat deinceps escendendum; igitur istâ primâ aetate nondum erat stabilis Ecclesiae forma, imo vix forma quaedam. Principia tum sunt ore prolata, scriptis mandata, vitae sanctitate confirmata, sanguine effuso sancita, principia, inquam, in sempiternum duratura, vera, sancta, Divina; sed principia modo et initia rei Christianae,

Digitized by Google

ad quae semper respicere, et, si forte aberraverimus, semper redire debemus, quae vero, tum libere in lucem protracta et commendata, deinceps demum formas crearunt stabiles et certas; illa aetate modo erat quasi spiritus, qui postea demum corpore est indutus. Quare ut quaestioni nostrae responsum inveniamus, ad tempora Ecclesiae seriora oculos advertere necesse est.

Hoc agentes ter potissimum cernimus Ecclesiam Christianam fuisse in hac conditione, ut, secundum principia certa, certa etiam conderetur Ecclesiae forma, tempore Constantini, tempore Gregorii VII, tempore Lutheri, ad quarum formarum certarum aliquam num revocari possit conditio praesens commota, paucis inquiramus.

Constantino suam civiumque suorum religionem mutanti eadem videbatur manere inter ipsum Imperatorem et Ecclesiam Christianam ratio, quae antea, quum Sacra publica essent Gentilia, inter Imperatorem et Sacra haec affuerat, id est, uti antea Sacrorum Gentilium, sic jam Ecclesiae Christianae sibi videbatur Constantinus Pontifex quidam Maximus. Quam rationem ipse, spiritualis religionis nostrae indolis haud ignarus, finibus quibusdam circumscripsit, diserte dicens, se esse quidem Ecclesiae Episcopum, sed solummodo quod attinet ad res Ecclesiae exteriores. Neque tamen ipse horum finium semper fuit memor, quod lites Arianae satis docent; neque ejus Filii, qui ipsi succerunt, nec Theodosius ille Magnus, nec praecipue Justinianus iste, quibus auctoribus orthodoxiae Ecclesiasticae norma non amplius erat in Synodis, nedum in Sacra Scriptura, sed in aulae Imperatoriae arbitrio, quod uti de militia et vectigalibus, sic etiam de eo, quod a Christianis verum falsumve esset habendum, supremâ constituebat auctoritate. Constantinum nominabam, sed jam addidi cum alios tum Justinianum. Adjicere possim multos, alios, Henricum VIII Angliae regem, qui seculo XVI, eâdem licentiâ, qua affectibus suis indulgebat, civium suorum religionem regere voluit, multosque Germaniae Principes, quorum haud pauci olim, num cives sui vel Lutherum vel Calvinum vel Papam Romanum essent secuturi, suâ definiverunt sententiâ, et vero vel nostrâ aetate nonnulli suo nomine de orthodoxiâ Ecclesiasticâ leges ferre non erubescunt. Quum vero numquam quis soleat esse aut tam stultus aut tam impudens, quin inveniat, inprimis si potestate magnâ gaudet, qui ipsum admirentur et defendant, hujusce etiam agendi rationis exstiterunt laudatores, quorum alii facetiâ quadam nodum dissolvisse sibi sunt visi, admodum acute

Digitized by Google

hoc proferentes dicterium, *cujus est regio ejus et religio*; alii multis argumentis probare sunt conati, esse singularum regionum Dominos suae quosque regionis supremos Episcopos; alii rem, nescio serio an per ludum, sed nomine valde apto, dixerunt *Caesaropapatum*.

Nomen hoc nos reducit ad Constantinum, qui simul erat et imperii Caesar et Ecclesiae Papa, quique non modo primum sed etiam longe potentissimum et prudentissimum fuit hujus Ecclesiae regundae modi exemplar; dum hi, qui Constantinum deinde sunt imitati et etiam nunc imitantur, nos docent, fieri posse, ut nostris etiam temporibus ad talem conditionem conformetur Ecclesia. Quaerimus, num Ecclesiae videatur profuturum, si ista repetatur forma ubivis? Quod si fiat, negari sane nequit, Auditores, quietem orituram esse qualemcunque saltem in tempus, quum jam is Ecclesiae futurus sit dominus, qui et rerum reliquarum in regione quavis omnium, quique igitur militum suorum ope nisi persuadere saltem silentium imponere possit civibus suis ab ipso dissentientibus. Verum de hujus agendi rationis bonitate dubium nobis movere jam possit observatio haec, nullam Ecclesiae Christianae familiam, nec Graecam, nec Romano-Catholicam, nec Protestantium vel unam, Caesaropapatum libris symbolicis approbare; imo omnes eum vehementer improbare, eumque esse a solis jurisconsultis et reipublicae administris inventum, qui eum reipublicae potius causa, quam in Ecclesiae gratiam commendarunt, unde non potest non oriri suspicio, cum Ecclesiae commodis pugnare potius quam convenire tale regimen, talemque ex eo ortam quietem et conditionem certam. Quam suspicionem confirmat vel levis de re ipsâ meditatio atque constans historiae testimonium. Nam fieri nequit, quin Ecclesia, quae non est hujus mundi regnum, ita, quantum per homines fieri hoc potest, contorqueatur in regni terreni bene administrandi instrumentum et partem, quale quid Jesu Christi consilio Christianorumque saluti prorsus esse contrarium, nemo non videt.

Igitur id, quod imperfecta et fortuita rerum conjunctio potius, quam Christianorum voluntas adduxit, missum facientes, videamus, an ad certam illam Ecclesiae conditionem, quam constituit Gregorius VII, reducenda sit ratio commota praesens.

Illud, quod in Ecclesiam tenuerant imperium Constantinus ejusque succes-

Digitized by Google

sores, in Occidente sensim magis evanuerat. Sensim plura hîc Ecclesiae gubernatores acquisiverant jura, ita tamen, ut quaenam esset illorum in civitate conditio, magis minusve a regibus pendens, nunquam jure et lege esset descriptum. Hinc Ecclesiae et reipublicae orta erat confusio, utrique valde noxia, quin utriusque corruptelae letalis causa. Diris aevi sui vitiis mederi constituit Gregorius Papa, Ecclesiâ, quae olim subfuerat Reipublicae, nunc huic praeponendâ adeoque rerum humanarum imperio summo, quod olim fuerat penes Imperatorem, nunc trahendo ad Papam Romanum, Ecclesiae principem. Igitur, prouti auctore Constantino Caesar factus erat Ecclesiae Papa, ita auctore Gregorio Papa factus est orbis Caesar. Quamvis hoc non spectaret Gregorius, ut ipse omnium Regum fieret Dominus, sed ut Ecclesiam Christianam tandem sui faceret juris, atque hoc modo conditionem ejus, misere corruptam, quae ipsi ex Ecclesiae servitio videbatur orta, prorsus emendaret. Ac, si quid video, non hoc adeo urgendum est in dijudicandis Gregorii rebus, quod *Papae*, sed potius, quod *Ecclesiae*, cujus personam et tutelam agebat solus Papa, jus summum vindicare conaretur.

Hoc si bene tenetur, non inepta erit quaestio proposita, an reducenda sit Ecclesia nostri aevi commota ad conditionem, qualem Gregorius constituit. Nimirum Gregorium oriri alterum, qui Regibus imperet, non patientur, qui nunc Europam regunt; verum Gregorii mens diu fuit et etiam nunc est in Christianis multis superstes, etiam in his, qui sese Protestantes dicunt. Nam huc redit illa mens, quod Ecclesiam, in diversis regionibus inveniundam, terrenae Regum potestati vel subductam, vel (si Reipublicae et Ecclesiae est pugna) praepositam, a Clericis velit constitui, judicari, regi, qui Clerici num subsint Monarchae, Papae, an Aristocraticum habeant regimen, Synodum, eodem fere redit. Synodis vero in Ecclesiae conditione commotâ, etiam de fide Christianorum constituendi atque alios ob placita credita damnandi, alios absolvendi jus qui tribuant, et fuerunt olim et sunt etiam nunc nonnulli inter Protestantes. Igitur haec est quaestio nostra, num commotio Ecclesiae praesens sic forte videatur regunda, ut, cujus rei Gregorius VII fuit vindex primarius, ad unius pluriumve hominum Ecclesiasticorum de rebus dubiis sententiam sese conforment Christiani omnes.

De quaestione proposita non vereor, Auditores, dicere, quid sentiatis. Ei respondetis omnes negando. Nam primum quidem, quomodo, quod historiâ

Digitized by Google

teste numquam successit, id in nostri aevi succedet hominibus, ut in aliorum hominum acquiescant auctoritate? An nostri homines, qui sibi de rebus omnibus judicium formare solent ipsi, hi an umquam eo adducentur, ut in aliorum jurent hominum verba? Deinde, quid est Ecclesiae indolem liberam et coelestem pervertere; nisi hoc, sententiam de placitis Christianis dicendam referre ad unum pluresve homines, errori obnoxios? Quid est, Ecclesiae indolem Divinam, quantum homines valent, destruere, nisi hoc, auctoritatem inferre humanam qualemcurque, quae de religione constituat nostrâ? Quare nos, qui omnem detestamur in rebus coelestibus auctoritatem terrenam, Papam Synodumve, Ecclesiae commotioni finem imponere conantes, aeque horremus atque Imperatorem Regesque idem agere sibi sumentes.

Sed ista suo relinquentes loco jam ad meliora veniamus, inquirentes, num forte ad Ecclesiae conditionem, quae Lutheri fuit tempore, nostra haec sit reducenda. Ille quid egerit, notissimum est. Ex magno bonis operibus statuto pretio ad gratiam in Christo amplectendam Divinam nos reduxit atque ex humanarum traditionum erroribus ad Euangelii veritatem. Primum, quod agebat, erat gratiae Divinae dignitatem ita contra Tetzelium vindicare, ut illam unam haberet salutis nostrae causam, omni operibus nostris merito prorsus negato. Alterum, Euangelium et hujus rei et omnium de re Christiana quaestionum ita facere judicem, ut ad hoc unum semper provocaret, hoc interpretaretur, qui hoc continebat, Codicem Sacrum vernaculo redderet sermone, unde vel opifices et mulieres verum falsumque discernerent ipsi. Jam igitur quaerimus, num quae est nostris temporibus Ecclesiae commotio sic forte feliciter possit dirigi, ut ad eam, quae Lutheri tempore fuit, Ecclesiae conditionem forma praesens reducatur?

Quaestioni huic non difficile est respondere. Primo quidem fieri nequit, quod in hac quaestione sumitur. Tria sunt secula, per quae duo ista Lutheri reliquorumque Reformatorum principia sunt elata, celebrata, defensa; et multi tamen in Ecclesia Christiana viri doctissimi et probissimi negant, ea ab omni parte esse vera; quare est adhuc eadem illa Occidentalium Christianorum in Euangelicos et Romano-Catholicos divisio, quae ante tria initium sumsit secula. Igitur, ut de Graecis sileam, ne Occidentales quidem Christianos omnes his Reformatorum principiis repetendis ad unam omnes

Digitized by Google

sententiam perducere possumus. Sed ne vel Euangelicos quidem, inter se divisos ac de multis rebus graviter disputantes hoc modo sedare poterimus. Quid enim, Auditores? Num e Protestantium memoria, sermonibus, scriptis duo ista evanuerunt principia Reformatorum, gratiae Divinae nos salutem nostram debere soli atque ex Euangelio suam ab ipsis Christianis singulis hauriendam esse de re Christiana persuasionem? Imo utrumque longe lateque in ipsorum Ecclesia regnavit, et nostris quoque diebus, inprimis post Secularia Reformationis ante viginti et unum annos celebrata, denuo explicitum et commendatum et vero acceptum est ubivis. Cui observationi si adjungimus alteram, hanc, quae nunc adest, Ecclesiae Christianae commotionem inter *Euangelicos* esse ortam atque ex his sese inter reliquos Christianos dispergere, mox oritur suspicio, rem hanc, de qua quaerimus, omnem suas habere radices non in turpiter desertis, sed in sancte servatis Reformatorum principiis. Quae suspicio historiae face mox in luce ponitur clarissima, quum historiam vel leviter inspicienti pateat, seculo XVI modo inchoatam necdum perfectam, esse Sacrorum emendationem (1) atque nostros homines ideo Ecclesiam sic movere, quia id, quod *inchoaverunt* Reformatores illi, jam persequi et *perficere* ipsi conentur. Illorum principia ulterius explicantes, maxime illud de Euangelio, uno veritatis Christianae cognoscendae fonte, aequales nostri jam incidunt in has, quas disceptant, quaestiones, de Codicis Sacri fide, ambitu, pretio, doctrinâ, deque re Christianâ omni ab omnibus ulterius perficiendâ. Jam hosce aequales nostros inter se disputantes ablegare ad Reformatores, tamquam qui omnia rite exposuerint, id est,

(1) Verba haec respiciunt orationem Viri Clarissimi N. C. KIST, *De inchoata necdum perfecta Sacrorum emendatione*, inveniundam in *Annalibus Academiae Lugduno-Batavae* anni 1836—1837, qua tam dilucide exponitur res, de qua hic quaerimus, ut eam a me ulterius explicari minime esset necesse. Utitur autem Vir Clarissimus tribus insignibus et celeberrimis nominibus, quae ipsa sibi e suae indolis sensu et veluti conscientiâ dedit haec Ecclesiae Christianae, quae seculo XV facta est, instauratio. Sunt haec nomina *Reformationis*, *Ecclesiae Euangelicae*, *Protestantismi*, quorum primo respicitur morum corruptorum emendatio, quam volebat instauratio ista, altero studium e Sacro Codice sapiendi, tertio voluntatem nulli sese subjiciendi auctoritati humanae. Jam vero ostendit Clarissimus Kist triplicem hanc rem, triplice nomine insignitam, *inchoatam* esse diu ante seculum XVI, primam maxime a Gregorio VII, alteram praecipue a Waldensibus, tertium inprimis ab Arnoldo Brixiensi; egregie *promotam* a Luthero, Calvino, reliquis Reformatoribus; *perfectam* vero ne nostris quidem temporibus esse.

Digitized by Google

naturae scrutatorem, de vi magneticâ et electricâ dubitantem amandare ad Musschenbroekium et Franklinum, quippe qui de harum rerum natura sic egerint, ut nihil nobis restet disceptandum.

Verum, cur haec vetusta diutius persequamur, Auditores? Sentimus, rei Christianae naturam et indolem paullulum respicientes, obstare hanc totam quantam hisce stultorum hominum conaminibus, quibus se ad antiquam Ecclesiae conditionem tempora nova reducere posse sibi blandiuntur. Neque arborem reducas ad surculum, surculum ad semen; neque e viro facias juvenem, e juvene puerum; neque ex Ecclesiâ nostrae aetatis Ecclesiam Lutheri, ex hac Ecclesiam vel Gregorii, vel Constantini. Crescit arbor, adolescit homo, progreditur Ecclesia. Antiqua ista omnia, suis apta temporibus et ex horum indigentia ac desiderio sponte enata, tum erant naturalia, nunc instaurata (si instaurari possint!) instaurata nunc forent non naturalia, sed monstrosa, quippe ementita et fictitia, adeoque primum inepta, mox ridicula, brevi neglecta. Nos Lutherum, Gregorium, Constantinum sequentes, qui in suorum temporum usum non antiqua recoxerunt, sed nova instituere sunt ausi, nos Jesum Christum sequentes, qui vetustae Judaeorum Ecclesiae novam substituit, nos vestigia legentes ipsius Dei, qui unam generis humani institutionem diversis curavit modis perficiendam: igitur nos, quibus nostra indiget aetas progressa, haec, Deo auspice Christique spiritu ducti, quaeramus, explicemus, commendemus!

Nostra aetas progressa indigere videtur isto commotionis Ecclesiae exitu, *quo ad ipsum Jesum Christum accuratius cognoscendum ardentiusque amandum ducatur Ecclesia.* Quam aetatis nostrae rogationem jam ad vos, Auditores, ferens, eam sic explicare et commendare conabor, ut ostendam, quomodo ipsa cum Ecclesiae temporibus cohaereat *praeteritis*, *praesentibus*, *futuris*.

Hanc aetatis praesentis rogationem cum *praeteritis* comparanti Ecclesiae Christianae temporibus apparet mox, eam ista, quae olim fuerunt bona et laudanda, non evertere et pessumdare, sed potius promovere et adjuvare. Scilicet emendationem vult priorum Ecclesiae formarum harumque explicationem ulteriorem et Ecclesiae progressionem. Idem enim quod nostra jam clare

Digitized by Google

et distincte rogat aetas, idem hoc voluit, studuit, assequi conata est semper Ecclesia Christiana, sed ita, ut pedetentim modo in clariorem veniret lucem, hoc esse, quod vellet ac velle deberet Ecclesia — *Christum cognosse et amare.*

Dubitatisne? Spectate ipsi! Constantinus ille, ad cujus Ecclesiam imperfectam nos redire velle negabamus, Christum civibus suis commendare omnibus suis institutis tentabat. Christi imaginem, Gentilis adhuc, inter Deorum posuit statuas; Christi sibi visus est videre in aëre crucem; Christi tueri honorem lite Arianâ dirimendâ sibi proposuit; Christo Domino supremo imperium suum ut subjiceret, cives suos omnes ad Ecclesiam introeundam invitavit et pellexit; quam si multi intrabant, terrenis potius commodis, quam animi persuasione moti, ille dicto isto se consolabatur Paulino, quoquo modo, sive in speciem sive vere, *Christum* publicari. At quod sibi proponebat, non nisi valde imperfectâ ratione perficere potuit. Obstabant Gentilia et terrena aevi istius studia, quod eo flexisse, ut Imperatoris auctoritate motum, ad Christum aliquatenus oculos adverteret, jam magni quid erat.

Ipse ille Gregorius, cujus Monarchiam Papalem regimenve Ecclesiae supra civitates omnes elatum nos respuebamus, ad Christum neglectum reducere volebat sui aevi homines. Ideo, quod Petri esset successor et cum Petro Christi vicarius, se Imperatori praetulit; atque Christo sponsam reddere voluit Ecclesiam, nunc tanquam vilem ancillam Diabolo prostitutam. Obstabat ejus voluntati cum aetas barbara et pessime morata, tum falsa ipsius Gregrorii de Ecclesiâ regundâ opinio; et tamen hic Europam occidentalem, disciplinae autea impatientem, frenavit et nisi ante Christi pedes, saltem ante pedes vicarii Christi prostravit.

Praesertim Lutherus ille et reliqui cum ipso Ecclesiae Reformatores, hoc sibi proposuerunt, ut ad Christum ducerent Ecclesiam. Nam probonorum operum meritis Euangelium gratiae in Christo Divinae annunciarunt ac pro illo Christi vicario, quem nunc per secula quinque adoraverat fere Europa occidentalis, Christum ipsum contemplandum et amandum proposuerunt; Christum unicum dixerunt Ecclesiae suae caput et regem; Christi unius vocem audiendam perhibuerunt. Atque Christi pro nobis mortui memoria celebranda sanctissimum ipsis adeo erat religionis nostrae sacramentum, idque minus recte venerari sic metuebant, ut de hoc ad unam omnes pervenire sententiam non possent. Quominus autem *et* recte perficerent, quod volebant, *et* vero clare

Digitized by Google

perspicerent hoc ipsum, quod agebant, obstabat temporum istorum difficultas, qua contra quam plurimos dissentientes se tueri ipsis incumbebat, atque suam non sine magno labore ordinare et vindicare Ecclesiam recens orientem. Quae si respicimus tempora sane jam magnum et maximum hoc fuit, quod egerunt; Ecclesiae pro Papa Christum, pro hominum traditionibus. Christi Euangelium, pro humanis operibus Christi merita sic commendare, ut magna Christianorum pars ipsis assentiretur.

Verum quid singulos hosce cito homines, qui testentur, se quoque non quidem perfecisse, quod sibi proponebant, sed tamen hoc idem sibi proposuisse et egisse, Ecclesiam ad Christum ducere cognoscendum et diligendum? Quid hos cito, quum, quae hoc ipsum testetur, citare possim Ecclesiam Christianam totam, totamque ejus, quae hucusque fuit, historiam? Nam lites omnium gravissimae, quae unquam inter Christianos fuerunt, nonne sunt gestae, Auditores, de Trinitatis dogmate, id est, quo sensu, quem hominem videmus fuisse, Jesus Christus item sit Dei Filius? Festi illi dies, quos semper et ubique Ecclesia celebravit tanquam omnium maximos, nonne sunt omnes consecrati Jesu Christo, hujus celebrandis natalibus, cruciatibus, morti, resurrectioni, escensui in coelos, spiritui in homines demisso? Christi amore nonne incensi sunt omnes omnium temporum Christiani veri, quum Martyres morte, Monachi vita coelibe, Pastores grege curando, Praecones ad Paganos convertendos emissi hac missione ipsâ, Christo quam simillimi fieri tentarent? Nonne hujusce sui studii, Christi cognoscendi et amandi, se etiam consciam ostendit Ecclesia, quum quam de imitatione Jesu Christi, id est de Christo accurate contemplando et ardenter amando, libellum conscripserat pius ille Thomas à Kempis, hunc prae omnibus reliquis libris mox laete acciperet, legeret, laudaret? hunc unum tanquam novum quendam Codicem Sacrum, aut Codicis Sacri compendium in omnes verteret linguas, ac tribus editionum millibus in omnium divulgaret Christianorum manus?

Quare sic concludere omnino licet, aetatem nostram, quando rogat, Christum contemplandum tanquam totius doctrinae et vitae Christianae caput, idem agere, quod seculis praeteritis semper *egit* Christiana Ecclesia, nec tamen se agere, tam *clare perspexit*, et tam *diserte elocuta est*, quam nunc nostro fit aevo.

Digitized by Google

Sed ita de praeteritis loquens Ecclesiae temporibus jam aliquatenus sumebam, quod nunc mihi est demonstrandum, illud, quod volumus, cum *praesentibus* Ecclesiae temporibus eximie convenire, id est, quod aetatis nostrae nomine rogabam, aequalium nostrorum desiderio prorsus esse satisfacturum.

Quaerendum est hic primum, quid et quale sit aequalium nostrorum in re Christiana desiderium commune; quod uti quaesitu est facile, ita neque inventu difficile. Iidem enim aequales nostri vividis etiam trahuntur aliarum rerum studiis, quum doctrinae et artes omnes tanto nunc ubivis colantur et ardore et successu, quantum vix ulla unquam vidit aetas. Quid? quod in omnibus paene his artibus et doctrinis nunc facta sit commutatio insignis, quum multae novae de iis et ortae sint et divulgentur et approbentur ideae, atque vetustiores, quae in iis vulgo regnabant notiones, consuetudini potius acceptae, quam veritati perspectae, innitentes, nunc aut, si falsae appareant, respuantur, aut si verae, sed minus accurate explicitae, denuo disquirantur et exponantur. Verbo philosopha est orta, maxime inde a seculo superiore medio, omnium rerum tractandarum ratio, qua fit, ut in historia enarranda, in literis exponendis, in philosophia explicanda, in rerum natura scrutanda, in medicina exercenda, in jure quaerendo, eodem omnes studio ad principia simplicia recurrant, omnia reliqua, quae ex his deduci possunt, sic certa et clara reddere conantes, ut ad primum suae quique artis et doctrinae initium revocent reliqua haec omnia, ac distincte ostendant, quo modo haec cum illo cohaereant, et ex illo pendeant. Jam idem est aequalium nostrorum in re Christiana studium. Principium volunt simplex et certum, unde omnis ducatur Theologia Christiana, unum quaerunt veritatis Christianae fontem, eumque rectum et clarum, unde omnes animi sitim explere possint, ac, quid verum sit, cognoscant ipsi. Ac semper quidem principia proposita Christianis sunt ejusmodi, sed quae aequalibus nostris non amplius satisfaciunt. Sic, inde a Constantino, Graeci tanquam tale theologiae principium sive talem veritatis Christianae fontem commendare solebant fidem orthodoxam, quam dicunt, id est, doctrinae corpus illorum Ecclesiae proprium; Romano-Catholici, maxime inde a Gregorio VII, Ecclesiae, matris communis, vocem, id est Clericorum Synodo conjunctorum Papaeve Romani auctoritatem; Protestantes, inde a Luthero mortuo, plerique libros Symbolicos,

Digitized by Google

id est, catecheses et apologias, Reformationis tempore conscriptas. At vero hac nostrâ aetate in istis principiis, quippe incertis et minus claris acquiescere amplius nolunt cum reliquorum Christianorum multi, tum imprimis Protestantes, qui eorum loco iterum, e Reformatorum proposito, ipsum commendant Codicem Sacrum; sed hoc eventu, ut Chritiani *doctiores* jam varias inter se agitent illas de Codicis Sacri fide, ambitu, pretio, doctrina lites, quas antea memorabam; *minus docti* querelas emittant, quod librum aliquem, eumque linguis peregrinis jam emortuis scriptum, cui accurate explicando nemo est par, nisi qui ingentem sibi comparavit eruditionis copiam, omnibus obtrudere velimus veri cognoscendi fontem. Quae quum ita sint, opus habet aetas nostra, non ut *alius* quidam et *novus* inveniatur veritatis fons, sed ut, qui *semper* affuit fons, verum quasi arborum ramis obtectus, ita ut multos lateret, ac plerique rivulos potius ex eo profluentes, quam ipsum fontem adspicerent; ut *hic* igitur *fons ipse* jam pateat, omnibus conspicuus, apertus, patulus. Est hic fons, ipse *Jesus Christus*, sive ut accuratius dicam, *Jesu Christi apparitio*, quae altera Dei est patefactio, peculiaris, post universalem illam, quae in omni rerum natura reperitur. Hujus patefactionis enarratio vero et purissima interpretatio adest in Scriptura Sacra. Nam hanc Christi apparitionem vaticinatum est et praeparavit Vetus Foedus, nobis enarrant Euangelia, commentariis illustrant Apostolorum Epistolae. Hujusque Codicis Sacri summam, sed saepe non puram, exhibent cum fides orthodoxa Graecorum, tum Romano-Catholicorum mater communis, Ecclesia, tum denique illi libri, quos tamquam symbola venerabantur, aut etiam nunc venerantur singulae Protestantium familiae.

Ad hunc autem veri fontem, Jesum Christum, magno jam properat studio aetas nostra, quae non modo quaecunque nobis secula praeterita tradiderunt, quae ad Jesum Christum honorandum facere possunt, sancte servavit, sed eadem haec etiam insigniter auxit et auget. Regni Graeci nuper erecti Episcopi decreto solemni sanciverunt, Jesum Christum *esse* et, abolitâ auctoritate humanâ antea admissâ, nunc et *agnitum iri* unum Ecclesiae Graecae caput. Romano-Catholici Divorum sive Sanctorum, quos dicunt, cultum magis magisque relinquunt, ac Papam modo venerantur, quia eum habent Jesu Christi vicarium, quem vicarium ipsorum multi minus facere parati sunt, si illius loco ipsum acquirere possunt Dominum, cujus est vicarius.

Digitized by Google

Protestantes nunc clamant ubique, Jesum Christum esse a religionis Christianae interpretibus annunciandum; hunc esse rei Christianae initium, medium, finem; hunc vivere debere in Christianis singulis, corporis ipsius membris. Documentum desideratis? Advertite animum ad Germani illius de vita Jesu Christi librum, qui omnem nuper movit orbem, omniumque excitavit primum terrorem, deinde indignationem. Excitavit vero, quia *Jesum Christum* erat aggressus, quem talem tantumque non fuisse ostendere sic conabatur, ut Ecclesia umbram et nubem pro Christo amplexa esse videretur. Quod conamen si succederet, Ecclesiam, quippe uno Christo nixam, perituram esse, sentiebant omnes, diserte enunciabant multi.

Quod vero *sentiunt* omnes atque ista opportunitate *enunciabant* multi, in id longe accuratius est inquirendum, id longe clarius, explicatius, perfectius est exponendum, nimirum in Jesu Christo, ita uti ante secula octodecim natus est, vixit, docuit, mortuus est, resurrexit, vivit etiam nunc, suamque regit et spiritu suo animat Ecclesiam, verbo in historica Jesu Christi apparitione sitam esse patefactionem Christianam. Hac re rite exposita et illustrata, jam unum erit omnibus Theologis doctrinae suae principium, certum, clarum simplex; quin unus jam omnibus Christianis patefit veri cognosendi fons, e quo Graeci hauriant, Romano-Catholici, Euangelici, docti, indocti, senes, pueruli. Nam quibus deest occasio, hanc Jesu Christi apparitionem toto Codice Sacro explicando et totâ generis humani historiâ meditandâ investigare, hi ex Euangeliis legendis eam cognosse possint, aut si, prorsus inculti, vel legere nequeunt, ex brevi Euangeliorum argumento ipsis narrato; qua apparitione cognitâ dijudicare possunt, num hic Jesus Christus ipsis placeat et satisfaciat amicus et servator. Hoc autem uno omnibus patente fonte supererunt quidem Codicis Sacri intelligendi difficultas et multae istae, quae nunc adsunt de Codice hoc, disputationes; sed Theologicae eruditioni supererunt disceptandae, non amplius apud Christianos vulgares ipsum fidei Christianae fundamentum quassabunt, quippe quod non est Codex Sacer vario modo explicitus, sed res in facto posita, historica Jesu Christi apparitio, quae melius quidem e melius intellecto Codice Sacro cognoscitur, sed cognosci aliquatenus potest, etiamsi nil de Codice hoc supersit, nisi vel unum e quatuor Euangeliis nihilque de Codicis Sacri argumento videatur certum, nisi hoc unum, quod etiam e scriptoribus aliis et ex ipsâ hac re, quod adest

Digitized by Google

Ecclesia Christiana, constat, vixisse aliquando pro nobis Divinum illum Jesum Christum. Supererit etiam singulis gentibus ac civitatibus sua quibusque Ecclesiae Christianae pars, quum in hac tanta hominum, gentium, rerumpublicarum diversitate fieri nequeat, ut una in terris sit Ecclesia Christiana, quae uno regimine externo iisdemque ritibus atque institutis sit conspicua; sed inter omnes has partes, externe sejunctas, interna erit harmonia, animorumque conjunctio, quum ex uno omnes fonte Divino spiritum bibant Divinum. Nam hic fons non est *doctrina* aliqua *Ecclesiastica*, non est *doctrina Apostolica*, utut pura, non est *doctrina Jesu Christi*, quamvis sit perfecta, hic fons est ipsa Jesu Christi apparitio (e qua tamen Jesu verba non excluduntur, sed qua includuntur) quam Jesu, Apostolorum, Ecclesiae doctrina illustrat. Hunc vero Jesum Christum inter homines apparentem nemo potest contemplari, quin ipsum admiretur; nemo admirari, quin amet; nemo amare, quin ei similis fiat. Sic magis magisque fiet Ecclesia sodalitium amicorum Jesu Christi, qui amico suo Divino in dies redduntur similiores, id est, Ecclesia, qualem condere voluit Jesus Christus.

Igitur affirmantes Ecclesiae commotionem sic regundam esse, ut ad Jesum Christum ipsum contemplandum et amandum magis magisque ducatur Ecclesia, tale quid efferebamus, quod temporum praesentium studia, certum quaerentia uti reliquarum rerum sic religionis Christianae principium, possit explere, nihilque egimus aliud, quam aetatis nostrae desiderium interpretari.

Superest nobis, AA., quaestio gravis, quomodo hoc ipsum, quod volumus, Jesum Christum commendare contemplandum et amandum, quod praesentem Ecclesiae commotionem ad finem optatum possit perducere, sese habeat comparatum cum *futuris* Ecclesiae commotionibus, quae in societate continuo progrediente abesse non possunt.

Respondeo, Jesu Christi res in dies quidem accuratius esse explicandas, attamen easdem religionis Christianae caput semper mansuras. Quod comparatione illustrabo. Fuit tempus, quo Jurisconsulti acquiescerent in jure Romano explicando, Medici in Galeno exponendo, Philosophi in Aristotele interpretando, Poëtae in Homero vel Virgilio legendo; quo item in Sacra Scriptura explicanda, defendenda, commendanda subsisterent Theologi. Verum

Digitized by Google

viderunt Jurisconsulti a praeclaro isto jure Romano esse adscendendum, ad jus, cujus illud est interpretatio egregia, vere humanum inveniendum; Medici a Galeno ediscendo progrediendum ad corpus humanum, quod praeclare observaverat vir iste sagax, ulterius explorandum; Philosophi pro Aristotele investigandam rationem humanam, ab Aristotele jam multum explicitam; Poëtae Homeri Virgiliive locum occupandum a sensu pulcri, qui iis legendis eximie acuitur, sed magis etiam est excolendus; ita quoque Theologi jam incipiunt et magis incipient in Sacra Scriptura explicanda, defendenda, commendanda non subsistere, sed ex hac adscendere ad illum explicandum et commendandum, qui Sacrae Scripturae, manibus versandae diurnis, versandae nocturnis, argumentum est, cujusque causa adest, Jesum Christum. Hoc si fiat factumve sit, non dico, omnem Theologiae adeoque Ecclesiae commotionem futuram anticipatione quadam fore praecisam. Imo, si omnibus clare innotuerit, in historica Jesu Christi apparitione fundamentum et fastigium esse fidei nostrae et theologiae nostrae, certamen orietur de Euangeliorum, Jesu res et verba enarrantium, indole ac fide historica et de Jesu Christi historiâ et personâ longe gravius, quam quod hucusque affuit; atque hac compositâ lite nascetur disputatio, qua ratione sese habeat haec peculiaris Dei patefactio in Jesu Christo conspicua, comparata cum universali, quae in omni rerum natura creatâ et curatâ reperitur Dei patefactione. Verum neque bonum sit, AA., hoc, quod commendo, pacis componendae remedium, si ulteriorem Theologiae commotionem atque Ecclesiae progressionem impediat. Bonum modo est, si hujus commotionis principium et fundamentum verum, hujusque progressionis viam certam et finem felicem ostendat: verbo, si rei Christianae perficiendae studium (quod duplex est) falsum cohibeat, verum promoveat. Supererit enim semper vera aliqua, quam barbare dicunt, Ecclesiae Christianae perfectibilitas, etsi multi eam jactent talem, quae est falsa, nec rei nostrae perfectio, sed corruptio. Verae autem illius perfectibilitatis principium verum, modus certus, finis felix aderit in sempiternum, si nunc Jesum Christum amplectimur ipsum, cognitionis nostrae et amoris nostri propositum. Nam, ita Deus Jesu Christi pater vivit! AA., Jesus Christus ipse, Jesu missio e coelis in terras, Jesu fata, Jesu res gestae in sempiternum Ecclesiae Christianae erunt inquisitioni et admirationi, numquam finem inveniundae, semper increscenti. Haec, haec jam per octodecim secula

Digitized by Google

intuita est Ecclesia, ita ut semper nova reperiret miracula explicanda. Haec voluerunt Apostoli, ut nos semper miraremur; haec annunciarunt, suo quisque modo suisque convenienter auditoribus, sed praeter haec nihil; haec semper; haec sola. Haec voluit ipse Jesus Christus, ut Ecclesiae essent in memoria et in animo et ob oculos. Nam Apostolos, sui rerumque suarum testes, se suasque res ubivis annunciare jussit, tamquam doctrinae Christianae argumentum; se amare, tamquam vitae Christianae perfectionem; suam, quam pro hominibus passus est mortem, coenae imagine adumbratam, tamquam rituum Christianorum primarium. Unde et ipse vitae aeternae, beatae, Divinae hanc dixit esse viam, ut unum verum in ipso cognoscamus et amemus Deum, ad quem homines quasi manu ducere voluit, quum in ipso, Dei hominisque Filio, factum sit adspectabile et amabile hoc, quod in rebus omnibus unum est summum et optimum, quid *sit* Deus, quidque *fieri* debeat homo.

Huc, huc ergo omnes evocamus nostrorum temporum Christianos, ad Jesum Christum accuratius contemplandum ardentiusque amandum. Huc ut suam quisque afferat Theologus operam, incito, hortor, precor. Nederlandi inprimis Christum in dies magis commendare pergant, vestigia legentes Majorum suorum, Thomae à Kempis, qui huic commendationi vitam impendit viresque omnes, Wesseli Gansfortii, qui Christum cognosse et amare ostendit totius religionis nostrae esse summam, Desiderii Erasmi, qui aetatem suam litigiosam Christi amore conjungere studuit. Nec tamen Theologos modo alloquor. In ea vivimus regione felicissima, ubi nemo se putat doctum, nisi qui et religionem Christianam inquirere amat. Non Theologi modo fuerunt, qui ad Jesum Christum magis cognoscendum et commendandum suas attulerant symbolas. Fuerunt omnis generis viri docti, qui et in aliis disciplinis et artibus tenebant principatum, Hugo Grotius, Nieuwentydt, Perponcher, van Alphen. Hos, Viri docti! et vos sequamini, ut viribus nostris omnibus conjunctis succedat, aetatis nostrae explere desiderium et Ecclesiae, quae nunc adest, commotionem feliciter sic regere, ut ad Jesum Christum accuratius contemplandum ardentiusque amandum ducatur Ecclesia.

Digitized by Google

Oratione praevia diutius vos retinere potui, Auditores, quum pauca habeam Academiae fata enarranda, quod in rebus nostris solet esse fortunae secundae signum. Nam primum satis bene constitutâ Academiâ, deinde quominus sunt quotannis enarranda, eo minus etiam detrimenti capit res nostra. Atque hujus quidem anni est haec felicitas, ut e Curatoribus et et Professoribus nemo, e studiosis modo duo nobis morte sint erepti; nec boni quidem, quod vobis laetus exponere possim, copia, sed neque malorum, quae lugeamus, cohors rempublicam nostram literariam inviserit. Nec tamen omni caruimus luctu, omnive destituimur gaudio.

O fallacem spem et opinionem nostram! Quo die dieique temporis puncto, anno superiore Rector Magnificus munere abiens, ex hoc loco salvum dicebat Regem salvamque putabat domum regiam, eo ipso mors rapiebat Regis uxorem, caput carissimum. Gravissimum ita inflictum est vulnus regio marito et liberis: grave item non Academiae nostrae, sed patriae toti. Ergo et luximus, vestibus minus, quam animo; luximus etiam, praeeunte oratore Academico, parentalibus solemnibus ritu Sacro institutis. (2) Quae nobis civibusque omnibus insigne est solatium, sancta mulieris hujus memoria, quippe quae animo non minus Christiano et vitâ piâ quam natalium et dignitatis splendore eminebat, haec etiam tristem sublevet Regis animum; haec liberis augustissimis sit dulcis, matremque hanc ipsis reddat pietatis exemplum, quod imitando, ut faciunt, venerari pergant.

Luximus etiam cum collegis conjunctissimis, van Limburg Brouwer, cui pater et frater affinis, de Waal et Stratingh, quibus filii, Lulofs, van Hall, Pareau, quibus fratres sive germani, sive per affinitatem conjunctissimi morte sunt erepti. Iterum ac publice jam accipiatis, Viri Clarissimi, animi vobiscum lugentis testimonium, quod vobis vestros quidem non reddit, sed amicitiae et commiserationis sincerae significatione luctum mitigare solet.

E juvenibus nostris morte decesserunt Gerhardus Hermannus Henricus van Marle, Juris studiosus, quem deplorant parentes, cui filius erat unicus atque

(2) Oratio Sacra etiam est edita, hac inscriptione insignis: *Een werkdadig en weldadig leven in verband met den dood. Leerrede over Hand.* IX: 36b. *en* 37a., *gehouden na het overlijden van de Koningin der Nederlanden, in de Akademie-beurt te Groningen*, 22 *Oct.* 1837, *door* I. F. VAN OORDT J.W.Z., *Gron. bij J. Oomkens.*

Digitized by Google

amici haud pauci, et Johannes Joachimus Schuurman, Theologus, qui in eo erat, ut cursum Academicum felicissime peractum finiret, quum uti matri viduae, sic amicis, inter quos et ipse eram, admodum flebilis occideret.

Haec tristia sunt. Inter laeta, quae acciderunt, hoc est, quod e Curatoribus, viris Amplissimis Sypkens et Rengers honoris et dignitatis contigerit accessio, quum ille Curiae novae Provincialis Praeses, hic Consiliator Regius sit nominatus; itemque quod viro Amplissimo Hofstede ac viro Consultissimo, qui Curatoribus est ab actis, e morbis periculosissimis valetudinem reddiderit Deus O. M. Quae honorofica ac laeta favoris sui signa Pater coelestis vobis, Viri Amplissimi, ac Tibi, Vir Consultissime, diu diuque in multorum servet civium atque etiam in Academiae nostrae commodum. — Inter laetos anni hujus eventus hoc etiam est, quod magistratum meum facilem mihi ac jucundum reddiderint juvenes, qui curae nostrae sunt commissi. Nam saepe quidem ipsorum causâ negotia mea reliqua intermittere debui, sed vix unquam ob aliam causam, quam ut essem testis, quam bonum vitae Academicae bene actae imponerent finem, lauream doctoralem honorificentissime sibi capessentes. In tanto studiosorum numero etiam esse, qui nobis et parentibus sint dolori atque Academiae dedecori, quis est, qui miretur, qui nesciat? Sed si disputationum et conscriptarum et defensarum atque testimonii magistrorum, quid dico? si pauperum hac hieme ab ipsis visitatorum et in frigore vehementissimo liberalissime et amantissime ab ipsis sustentatorum aliqua est fides, nemo etiam bonos plerorumque studiosorum mores et industriam insignem vocabit in dubium.

Supellex Academica non multum crevit, si unam excipis Bibliothecam. Huic plura e libris collegae quondam conjunctissimi Gratama, palam divenditis, opera optima accesserunt; item plurima scripta physicam et astronomiam spectantia; porro libri, qui Vetus Foedus aliaque opera Orientalia explicant multi, iique manuscripti, manu viri celeberrimi Nicolai Gulielmi Schroederi, eximii olim Academiae hujus et literarum Orientalium ornamenti; quare, aeque hujus viri memoriae celebrandae, quam Veteris Foederis explicandi causa, gaudemus hosce libros inter nos conservari, atque optamus brevi aliquem fore, qui thesauros in iis latentes in lucem protrahat. Atque haec quidem omnia, Amplissimis auctoribus Academiae Curatoribus, Rex Augustissimus nobis est largitus. Accrevit Bibliotheca etiam munificentiâ

Digitized by Google

Virginis augustissimae, quae jam throno Britannico insidet. Haec enim, rogante Regis nostri apud eam oratore, singulis Academiis Nederlandicis dono dedit exemplar istorum *Monumentorum publicorum*, quae olim tantum manu descripta conservabantur in Turri Londinensi, nunc vero Rege Georgio III rem inchoante, Georgio IV et Gulielmo IV Regibus et Victoria Regina rem persequentibus, magno typographico splendore eduntur. Bibliothecam autem non modo librorum crescere numero, sed etiam reliquis rebus, quibus Bibliotheca est utilis, esse conspicuam, nempe librorum emendorum delectu, emptorum ligamento, in pluteis positorum ordine, est, de quo Bibliothecae praefecto gratum non possumus non testificari animum.

Reliqua Musea atque instrumentorum utilium collectiones non eâdem insigni increverunt ratione, quamvis nulla non sit aucta. Museum Historiae Naturalis, soli, cui inaedificatum est, humore laborans, partim instauratur, ut si fieri possit, defectu hoc liberetur.

Aedificio Academico, ob patriae conditionem incertam nondum exstructo, adhuc aegre caremus. Nam constat quidem, uti civitas non muris, sic Academiam non aedificiis contineri, sed turpe tamen est, quando sua cuique instituto sunt loca et structurae, venerabili Academiae nostrae ne auditorium quidem amplius esse, ubi disputationes publicae honeste habeantur, neque, quando oratio solemnis est dicenda, suum esse locum, ubi dicatur.

Ad diem hunc festum pertinet, ut si quaestiones sint publicatae et responsa adsint, praemiis digna, haec victoribus tradantur. Quod ut jam rite fiat, tu, Vir Clarissime, qui Academiae es ab actis, Ordinum singulorum judicia praelegas.

Unum ergo modo tradere possum nummum aureum, sed gaudeo me hoc tibi esse traditurum, Ornatissime Meyboom! Tu enim talem te semper nobis exhibuisti discipulum, ut nemini tradam libentius. En praemium Groninganum, Leidensi, quo anno superiore ornabaris, adjungendum. Tibi multa commisit Deus O. M, quibus si tu frueris, uti hucusque fecisti, eo modo, quo nunc Academiae nostrae, olim Ecclesiae Christianae et Reipublicae literariae eris ornamento. Hoc conare, juvenis optime, atque uti Hemsterhusius ille tuus (3) in re philosopha, sic tu in Ecclesia Christiana novae, quae incepit, aetatis sis interpres ac vindex praeclarus.

(3) Quaestio, de qua praemium reportabatur, erat de meritis Francisci Hemsterhusii, in philosophiae loco de Deo hominisque cum Deo conjunctione explicando.

Digitized by Google

Honorificum testimonium decretum est tibi, Ornatissime Römer. Gaudeo, quod modestiam tuam hac in re nimiam superaverit prudentia, ita ut scriptionem tuam nobis judicibus submiseris. Nam etsi ipse non Theologus, in hoc certamine te talem praestitisti, ut nisi alter ille, vincendi peritus, affuisset, tu, Juris studiosus, praemium Theologicum reportasses. En, quo es dignissimus laudis testimonium! Neque nos frustretur eventus, si ex hac tua virtute divinemus, haud vulgaria a te accepturam esse Rempublicam literariam emolumenta.

Restat, ut fasces Academicas tradam. Ergo novum Rectorem Academiae Magnificum a Rege Augustissimo electum, proclamo Virum Clarissimum,

BARTHOLDUM HENRICUM LULOFS, *in Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Professorem Ordinarium.*

Salve, Rector Magnifice, iterumque salve! *Tibi* me fasces tradere, mihi non modo, discipulo tuo, sed omnibus collegis gratissimum est. Te, viro per multos annos de Academia nostra meritissimo, te Rectore floreat Academia Groningana! Tibi magistratus Academicus aeque sit facilis et jucundus, atque illum mihi fuisse, et hominibus et Deo meo gratias habeo maximas.

DIXI.

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM,

IN ILLUSTRI ACADEMIA, QUAE GRONINGAE EST,

in annum MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII *proposita.*

RECTORE MAGNIFICO

HERMANNO CHRISTIANO VAN HALL.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

THEODORUS VAN SWINDEREN, diebus Lunae et Martis, hora VIII, *Encyclopaediam Philosophiae naturalis* tradet, cui praemittet praecepta *Hodegetica*, sive *studii ratione recte instituenda*, additis *Paedagogices principiis.* Die Mercurii, horis VIII et III, *Historiam Naturalem Animalium* et *Fossilium*, *inprimis patriae*, *et Animalium*, cum *Anatome comparata* coniunctam, docebit; diebus Lunae et Martis, hora III vel verno tempore VII matutina, aut alia magis commoda, hoc anno, *Historiam Naturalem Avium* fusius explicabit; die Saturni, hora XII, *Oeconomiam Politicam* exponet.

SIBRANDUS STRATINGH, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I, lectiones habebit *de Chemia generali et applicata*, illamque duce F. P. Dulk illustrabit. Diebus Lunae et Mercurii, hora XII, *Chemiam Pharmaceuticam* Pharmacopoeae Belgicae accommodatam, practice tradet, et hanc doctrinam duce C. F. Hänle, vel dein indicando Compendio, exponet. Denique, diebus Lunae et Martis, hora VI, *Technologiam Chemicam* in usum publicum tractabit, et *recentioribus inventis Chemiae applicatae* ornabit. Si qui porro sint, qui *Exercitiis Practicis Chemicis* operam dare velint, hisce horis matutinis IX — XII die Saturni vacabit et suis consiliis adiuvabit.

Digitized by Google

HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL, die Martis hora XII et die Veneris horis VIII et IX, aestivo tempore etiam die Saturni hora VIII, *elementa Botanices* illustrabit. Die Mercurii horis IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium. Die Saturni autem, horis X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit.

IANUS GUILIELMUS ERMERINS, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa exponet; diebus Iovis et Saturni, hora IX, *Stereometriam et Trigonometriam Sphaericam* tradet: *Physicam experimentalem* docebit diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III, *Calculum differentialem et integralem* horis auditoribus commodis exponet.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

CORNELIUS DE WAAL, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX, *Metaphysicam* tradet; hora XII, aut alia auditoribus commoda, *Philosophiae Moralis* partem alteram, id est *Ethicam* exponet; X, *Historiam Philosophiae recentioris per saecula aerae Christianae* enarrabit. Ceterum, si sint, qui *Theologiam Naturalem* tradi sibi cupiant, de hac cum discipulis consilium inibit.

GERARDUS WOLTERS, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora matutina VIII, *Antiquitates Hebraeae* exponet; hora ante meridiem IX, *librum* II Regum analytice explicabit; hora X, *Literaturam Orientalem* tradet; hora XII, *Grammaticam Hebraeam* interpretabitur. Si qui sint, qui *Coranum* sibi explicari cupiant, cum his consilium inibit.

IANUS TEN BRINK, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X, Xenophontis *Oeconomicum;* I, Ciceronis *Libros de Officiis* exponere perget. Si qui sint, qui Horatii *Carmina*, adhibita editione Viri Cl. P. H. Peerlkamp, sibi exponi cupiant, iis operam dabit, hora auditoribus commoda. Denique disputandi exercitiis praeëesse perget, et scholis paedagogicis vacabit horis, quae auditoribus erunt commodae.

Digitized by Google

BARTHOLDUS HENRICUS LULOFS, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII, secundum manuductionem suam, *Fundamenta stili bene Belgici* exponet, *eaque, quae ad scientiam praestantiae, originis, indolis ac grammatices totius linguae Belgicae, nec non ad historiam literarum Belgicarum pertinent;* additis in primis *recte Belgicae scribendi excercitationibus.* — Iisdem diebus, hora solita V, post meridiem, alterum suum compendium secuturus, fusius e *Rhetorica Belgica*, sive ex altioribus *Eloquentiae* ac simul *Poëseos Belgicae praeceptis*, selecta tradet, exemplis ex optimis, cum Belgicis, tum Graecis et Latinis, Gallicis, Germanicis, aliarumque gentium oratoribus ac poëtis desumtis, perpetuo illustrata, et adiunctis exercitiis, quae Eloquentiae exteriori, sive vocis et gestuum moderationi inserviant. Reliquis studiosorum desideriis lubens obtemperabit.

GERARDUS IOANNES MEIJER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII, *Historiam patriam* exponet.

FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE, diebus Lunae, Martis et Mercuri, hora X, *Historiam Philosophiae antiquae* explicabit; iisdem diebus, hora XI, *Logicam* docebit; diebus vero Mercurii, Iovis et Veneris, hora III, *Psychologiae empiricae praecepta* tradet.

PETRUS VAN LIMBURG BROUWER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora IX, *Historiam Universalem* tradet, iisdem diebus, hora X, *Antiquitatem Romanam*, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora IX, *Antiquitatem Graecam.* Aristophanis Plutum, exercitationis gratia, cum literarum graecarum studiosis leget, hora auditoribus commoda.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

IOANNES FREDERICUS VAN OORDT, I. G. FIL., diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII, *Theologiam Christianam Theoreticam* explicabit; diebus Lunae et Mercurii, hora IX, *Ius ecclesiasticum Belgicum*, duce cl. Royaards exponet: diebus Martis et Iovis, hora IX, quae ad *institutionem Oratoris S.* pertinent, tractabit; die Veneris hora III, *exercitationes catecheticas* moderabitur. Denique *selectis nonnullis prioris Pauli ad Corinthios Epistolae locis* cum commilitonibus interpretandis vacabit die Lunae hora VIII.

Digitized by Google

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT, diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora X, *Historiam Ecclesiae Christianae* inde ab initio usque ad nostra tempora sensim ulterius *propogatae*, secundum *Institutiones* suas, typis divulgatas, enarrabit; diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora XI, *Matthaei Euangelium* interpretabitur; die Veneris, hora XI, *Institutiones* a se editas secuturus, *Theologiam Naturalem* exponet.

LUDOVICUS GERLACHUS PARRAU, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII, *Theologiam Christianam moralem* exponet; die Iovis, hora XI, *loca quaedam hermeneutices sacrae* exponet; et die Lunae atque Veneris, hora XII, librum *Joëlis* cum commilitonibus interpretabitur.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis theologicis*, die Mercurii, hora III, suis vicibus praeërunt Theologiae Professores.

IN FACULTATE IURIDICA.

SERRPIUS GRATAMA, quamvis propter aetatem rude donatus, Studiosorum in iure et Academiae commodis inservire, quantum per valetudinem licebit, conabitur.

HENRICUS NIENHUIS, diebus Lunae et Iovis, horâ IX, *ius cambiale* docebit, *maxime secundum leges patrias recens recognitas;* diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, hora X, *praecepta praxeos iudiciareae in causis civilibus; additis exercitationibus practicis;* horâ XI, *ius civile hodiernum* exponet. Disputationes de his doctrinis habendas moderabitur die Saturni, horâ XII.

IACOBUS HERMANNUS PHILIPSE, *Encyclopaediam ac Methodologiam Iuris* tradet diebus Martis, Mercurii, Iovis, horâ IX; *Historiam Iuris Romani* enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, horâ VII; *Institutiones Iuris Romani* interpretabitur diebus Lunae, horâ IX et X, Mercurii, horâ XII, et Veneris, hora VIII et IX; *Pandectas* diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris, horâ X. — Disputationes *de Iure Romano eiusque Historiâ* moderabitur die Veneris, horâ XII.

CORNELIUS STAR NUMAN, diebus Martis, Mercurii, Iovis, Iovis, horâ X, *iuris naturalis*, horâ XI, *iuris publici* principia tradet. *Ius Criminale* doce-

Digitized by Google

bit diebus Martis, Mercurii, horâ IX, die Veneris, hora VIII et IX. Idem diebus Martis, Mercurii, Iovis, hora VIII, die Saturni, horâ X, *Historiam politicam Gentium Europearum inde a pace Westphalicâ usque ad refractam Napoleontis dominationem* tractabit; denique, die Saturni, horâ VIII et IX, *legem de summi imperii ordinatione et distributiono in patriâ nostra latam* interpretabitur. — Disputationes de his disciplinis lubens moderabitur, die Mercurii, horâ XII.

IN FACULTATE MEDICA.

SIBRANDUS ELZO STRATINGH, diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora X, *Medicinam Practiam;* diebus Veneris, hora XI, et Saturni, hora X, *Diaeteticam cum Medicina Politica* coniunctam; diebus Lunae, Martis et Iovis, hora XI, *Materiam Medicam* cum *Pharmacia Medica* coniunctam et *Semioticam* diebus ac horis postea indicandis tradere constituit. Singulis etiam diebus in Nosocomio Academico aegrotis curandis vacabit, morbosque tractatos Medicinae studiosis subinde de industria paulo uberius exponet. Qui disputando vires suas periclitari velint, illorum desideriis lubens obtemperabit.

AUGUSTUS ARNOLDUS SEBASTIAN, *Physiologiam* docebit diebus Martis, Mercurii, Iovis, hora VIII; *Chirurgiam* exponet diebus Iovis, Veneris, Saturni, hora IX, eiusque *Praxin* in Nosocomio Academico quotidie hora media XII; *Anatomen Pathologicam* tradet, diebus Veneris et Saturni hora VIII; *Anatomen corporis humani* exponet diebus Martis et Mercurii, hora media V, et diebus Veneris et Saturni, hora III; dissectionibus cadaverum Anatomicis tempore hyemali instituendis quotidie praeërit.

IACOBUS BAART DE LA FAILLE, diebus Lunae, hora VIII et IX, Martis et Mercurii, hora IX, et Saturni, hora XI, *Artem Obstetriciam* exponet; et in Nosocomio Academico, ad parturientium lectos, qualibet oblata occasione, practice instituet. Diebus Lunae et Martis, hora X, Mercurii, hora XI, et Saturni, hora IX, *Pathologiam Generalem* docebit. Diebus Mercurii et Saturni, hora X, *Medicinam Forensem* tradet. Diebus Martis et Mercurii, hora VIII, *Morbos Infantum* exponet. — Disputationum exercitiis lubens vacare perget.

Digitized by Google

Disputationes publicae per omnes Facultates instituentur diebus Mercurii et Saturni, *ab hora matutina undecima ad secundam, aut a tertia ad quartam.*

Bibliotheca Academica, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, *ab hora matutina decima ad primam, et diebus* Iovis et Veneris, *ab hora secunda ad quartam, studiosis aliisque literarum amantibus patebit, iis legibus, quae in aditu ipsius Bibliothecae publice affixae sunt. In feriis autem aestivis Bibliotheca post meridiem non patebit.*

Museum Historiae Naturalis patebit die Mercurii, *ab hora* XII *ad* I.

Museum Anatomicum patebit die Mercurii, *ab hora* XII *ad* I, *et die* Iovis, *ab hora* II *ad* IV.

Museum Instrumentorum rusticorum patebit die Martis, *ab hora* XII *ad* I.

Peregrinarum linguarum, nominatim Germanicae et Gallicae, cupidi suos hic reperient Praeceptores, publica auctoritate ad id constitutos, ut civibus nostris inserviant; uti etiam illi, qui Equitandi arte instrui cupiunt, suo non destituentur Magistro.

Digitized by Google

SERIES

DISSERTATIONUM INAUGURALIUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

DEFENSARUM

a die 18 *Octobris* MDCCCXXXVII *ad diem* 10 *Octobris* MDCCCXXXVIII.

MDCCCXXXVII.

d. 18 Octobris. Dissertatio Medica de Machaone et Podalirio, primis Medicis Militaribus; defensa a PETRO KERKHOVEN, ex pago Twello Gelro, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

d. 2 Decembris. Dissertatio Juridica de rescindendâ haereditatis divisione, maxime secundum jus hodiernum; defensa a WOLTERO GOCKINGA, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 13 Decembris. Dissertatio Chirurgica de fractura processus spinosi vertebrarum; defensa a GERARDO TAAPKENS Jr., Amstelodamensi, pro Doctoratu Medicinae.

d. 22 Decembris. Dissertatio Medica de causis, quare homines prae animalibus morbis infestentur; defensa a PETRO RINSEMA, Winschotano, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

MDCCCXXXVIII.

d. 11 Januarii. Specimen Medicum continens observationes de morbo maculoso Werlhofii; defensum a DURANDO HENDERICO FLEDDERUS, Smildâ Drenthino, pro Doctoratu Medicinae.

Digitized by Google

d. 28 Februarii. Specimen Medicum continens doctrinam de morbis cutaneis secundum Hippocratem; defensum a WIGERO HENDERICO IDSERDA, ex pago Rauwerd Frisio, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

d. 2 Maji. Dissertatio Juridica de Testamenti revocatione secundum Jus Hodiernum; defensa a PETRO BRONGERS, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 9 Maji. Dissertatio Chirurgico-Medica de vulneribus cordis; publice defensa ab HUBERTO GULIELMO CONRADO DE JONG, Arnhemiâ Gelro, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. eod. Dissertatio Medica de Teleangina uteri; publice defensa a VITO NICOLAO METZ, Leovardiensi, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. 12 Maji. Specimen Exegetico-Theologicum, quo Jesu de morte suâ effata colliguntur atque exponuntur; publice defensum ab HERMANNO HUYSERS, Groningano, V. D. M. in pago Kockange, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 28 Maji. Specimen Juridicum nonnulla continens de potestate Magistratus in Tutoris datione maxime secundum legem in patria novissime latam; defensum a JUSTO DATHONE LEWE QUINTUS, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 2 Junii. Disputatio Juridica de Juris Hodierni prohibitione, quam ratione Medicorum, Chirurgorum Similiumque statuit Lex in art. 909, C. G.; defensa ab EVERHARDO JUSTO LEWE VAN ADUARD, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 13 Junii. Dissertatio Medica de Diagnosi Tumorum fibrosorum uteri; publice defensa a DAVIDE VAN ES, Meppelâ Drenthino, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. eod. Disputatio Juridica de Jure retractus, de quo statuit art. 841, C. G.; defensa a CASPARO EVERHARDO OOSTING, Hoogeveena Drenthino, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

Digitized by Google

d. 16 Junii. Disputatio Juris Publici de Superiore Procerum, in Regno Belgico, Concilio cum similibus nonnullarum vicinarum Gentium institutis comparato; publice defensa ab ANNARO GULIELMO VAN HOLTHE TOT ECHTEN, ex pago Echten Drenthino, *magna cum laude.*

d. eod. Disputatio Juris Publici de Senatorio Reipublicae Batavae et Regni Neerlandici Concilio (Raad van State); publice defensa ab ERNESTO CAROLO JOHANNE BERTLING, ex pago Veendam Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

d. 18 Junii. Dissertatio Obstetricia continens animadversiones de doloribus ad partum; defensa a PETRO CAMPHUIS, ex pago Uithuister-Meden Groningano, pro Doctoratu Medicinae.

d. 19 Junii. Specimen Historico-juridicum exhibens disquisitionem de Tribunorum Plebis apud Romanos jurisdictione in causis privatis; defensum a GEORGIO WOLFGANGE CAROLO DUCONE BARONE THOE SCHWARTZENBERG ET HOHENLANSBERG, Frisio, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 20 Junii. Specimen Medicum de Febre Puerperali; defensum a JOANNE CASPARO THEODORO GANDVUURDER, Oostmarsum-Transisalano, pro Doctoratu Medicinae.

d. eod. Dissertatio Medica de Inflamatione Diaparagmatis; publice defensa ab HERMANNO COSTER, Almelo-Transisalano, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. eod. Dissertatio Obstetricio-Medica de Placentae solutione artificiali; publice defensa a BERNHARDO GULIELMO SIEMENS, ex pago Scheemda Oldamtino, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. 22 Junii. Specimen Juridicum continens nonnullas observationes de natura indiciorum; defensum ab ANTONIO PAEHLIG, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 23 Junii. Historia Literaria et Critica forcipum obstetriciarum ab anno 1794, ad nostra usque tempora; defensa a JOACHIMO

Digitized by Google

LUNSINGH KIJMMELL, Meppela-Drenthino, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. eod. Dissertatio Historico-Medica de morbis epidemicis, qui in Urbe et Regione Groninganâ tractuque Frisico vicino a Saec. XIII ad Saec. XVIII finem grassati sunt; publice defensa a SICCONE PETRO POPTA, Harlingâ-Frisio, pro Doctoratu Medicinae, *magna cum laude.*

d. eod. Dissertatio Medica de auro ejusque praeparatorum in Medicinâ usu; publice defensa a JANO DIDERICO SCHEPERS, Sancti Jacobi Parochiâ-Frisio, pro Doctoratu Medicinae, *cum laude.*

d. 25 Junii. Specimen Juridicum continens selectas observationes ad Codicem patrium, quo regitur methodus procedendi in causis criminalibus Militaribus; defensum a JOHANNE ALBERTO VAN HOLTE, ex pago Dalen Drenthino, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 27 Junii. Dissertatio Exegetico-Theologica de lege ex Pauli sententia; publice defensa ab ALBERTO JACOBO HAMERSTER, Leovardiâ-Frisio, V. D. M. designato in Vico Marssum, pro Doctoratu Theologiae, *magna cum laude.*

d. 29 Junii. Specimen Juridicum de Tutore vicario ex jure civili Gallico; defensum a GULIELMO JOHANNE HORA SICCAMA, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. eod. Disputatio Juridica de Praejudicio, quod judicium criminale, quo absolvitur reus, quoniam factum non fuit probatum, aut ipse ejus auctor non fuit, facit judicio civili; defensa a JANO GOCKINGA, Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. 30 Junii. Dissertatio Juris Publici Belgici ad art. 170 Legis de Imperio; defensa a JOHANNE FRENADE FEISSER, ex pago Veendam Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *cum laude.*

d. eod. Dissertatio Historico-Juridica de *Gildis Groninganis*; publice defensa ab HENRICO OCTAVIO FEITH JR., Groningano, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni, *magna cum laude.*

Digitized by Google

d. 22 Septembris. Specimen Juridicum de revocandis legatis secundum art. 1046, seq. Cod. Civ. Gall.; defensum ab HENRICO GUICHART ABRESCH, ex Provinciâ Groningana Omlando, pro Doctoratu Juris Romani et Hodierni.

d. 10 Octobris. Dissertatio Theologica de amore omnem omnio Dei virtutem continente; publice defensa a BERNARDO DOORENBOS, Frisio, V. D. M. designato in vicis Peins et Sweins, pro Doctoratu Theologiae, *cum laude*.

Digitized by Google

NUMERUS ADOLESCENTIUM STUDIOSORUM

INTER SINGULOS ORDINES

ACADEMIAE GRONINGANAE

DISTRIBUTORUM PROPONITUR

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

In ordine Theologico			62
» » Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum:			
futuri Philos. Theor. Mag. et Literar. Hum. Doct.		7	
» Theologi		30	
» Jureperiti		26	
			63
» » Juridico			49
» » Medico			53
» » Mathematum et Disciplinarum Physicarum:			
futuri Mathem. Mag. et Phil. Nat. Doct.		6	
» Medici		33	
			39
Studiosor. numerus			266

Ex horum numero nemo alio migravit, nisi unus WIEBO ENS, qui in Athenaeo Frisiaco Medicinae Studia persequitur.

Digitized by Google

JUDICIA

ORDINUM ACADEMIAE GRONINGANAE

DE COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES

anno MDCCCXXXVI *propositas.*

JUDICIUM FACULTATIS THEOLOGICAE.

Ad quaestionem propositam:

« ***Exponantur*** FRANCISCI HEMSTERHUSII ***merita in Philosophiae loco, de Deo*** « ***hominumque cum Deo conjunctione, explicando.*** »

Facultas tres accepit Commentationes:

Harum prima, verbis insignita Πᾶν ἐπ' ἀληθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔργον, continet quidem nonnulla egregia dicta; sed universe notionibus obscurior, lingua impurior est: et imprimis Auctor dicendus est, suam, qualemcumque magis quam Hemsterhusii, sententiam exposuisse.

Secundae commentationis symbolum erat Θεοῦ γένος ἐσμέν PAULUS. Hujus Auctor et argumentum suum bene disposuit et Hemsterhusii sententiam ex vero explicuit, rite etiam de eo judicavit, tum ex re et aetate, quâ vixit, tum comparatione instituta cum Socraticâ Philosophia et Religione Christiana; ex quibus utpote Fontibus Hemsterhusius permulta hausit: accedit insuper latinae orationis elegantia; — locum vero alterum, qui est de Deo argumentisque pro Dei existentia a Philosopho prolatis, minus dilucide Auctor exposuit, et universe in placitis singulis explicandis paene unice versatus est, ad eorum conjunctionem, et ad principia methodumque Philosophandi Hemsterhusio propriam vix attendit. Vel sic tamen Facultas hanc commen-

Digitized by Google

tationem, ut juvenile opus multa egregia continens, praemio condecorare non dubitasset, nisi tertia ei palmam praeripuisset. Ejus igitur Auctorem, si vellet se patefacere, dignum censuit, qui magna cum laude commemoraretur. Publice ad id excitatus, auctorem se professus est J. W. Römer, Litt. Hum. et Jur. Cand. in Academiâ Rheno-Trajectinâ.

Tertia commentatio inscripta est his verbis: «*Wenn die Könige baun, haben die Kärrner zu thun*», SCHILLER. In hac quidem orationis latinae minor est elegantia et pauca quaedam, quae ad Hemsterhusii merita ab omni parte juste aestimanda faciunt, in eâ desideravit Facultas; sed in Philosophi disquisitionibus, tum intelligendis, tum accurate et ordinate exponendis et in ipsius meritis laudandis, atque in principiis, ex quibus profectus est, methodoque philosophandi, qua usus est Hemsterhusius, rite explicandis, Auctor insignem diligentiam, Historiae Philosophiae cognitionem haud vulgarem, et iugenii quoque sui Philosophici vim eximie probavit. Quare hanc commentationem praemio dignissimam judicavit Facultas, dignam quoque quae, si Auctori ejus rei sit opportunitas, typis exarata publice ab eo edatur. — Aperta schedula et examine, ex lege nunc constitutâ, solemni publice habito patuit auctorem esse Ludovicum Susonem Pedronem Meiboom, in hac Academiâ Theologiae Candidatum.

P. HOFSTEDE DE GROOT,

Facult. Theologicae ab Act.

Facultas Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum ad utramque propositam Quaestionem responsa haud accepit.

F. C. DE GREUVE,

Facult. h. t. ab Act.

Digitized by Google

Ordo Ictorum ad quaestionem a se propositam nullum accepit responsum.

CORN. STAR NUMAN,

Ord. Ict. Graphiar.

JUDICIUM ORDINIS MEDICORUM.

Ad quaestionem propositam :

« Quaeritur *accurata Anatomica et Physiologica descriptio Glandulae Phy-* « *reoideae, cum adjectis iconibus, quibus fabrica illius glandulae, tum* « *microscopio, tum universe Anatomicorum more indagata, illustratur.* »

Unam modo commentationem ordo accepit inscriptam verbis Doctis. LUBLINK WEDDIK: « *Het is veel of weinig, toch zoo beter, beter dan dat hij geheel* « *stil zat en niets deed; want dan doet hij kwaad of poogt het te doen.* »

Licet hujus commentationis Auctor, in quaestionis parte Anatomicâ pertractanda, laudabilis sit, et diligentiae et peritiae quoque documenta exhibeat, — pars Physiologica tamen, multum abest ut satis elaborata sit; quin omnia desunt, quae spectant ad originem et efformationem glandulae Phyreoideae in foetu: — indoles humoris, quem singularem nonnulli in Parenchymate illius glandulae adesse docuerunt, vix ulla facta est mentio; nec suam ipse sententiam, de functione illius partis, ita tradidit Auctor, ut dijudicari satis posset res ipsa, quâ illam probare conatus est. Ita condecorari praemio haec commentatio non potuit.

I. BAART DE LA FAILLE,

Fac. Med. ab Act.

Digitized by Google

Ordo Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ad propositas quaestiones responsa haud accepit.

H. C. VAN HALL,

Ord. ab Act.

Digitized by Google

ANNALES ATHENAEI

FRANEQUERANI.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ATHENAEO FRANEQUERANO DOCUERUNT.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

F. DE GREVE, Jur. Rom. et Hod. Doct.

S. ENS, Med. Dr.

N. MULDER, Math. Mag. Phil. Nat. et Med. Dr.

G. A. ENSCHEDÉ, Math. Mag. Phil. Nat. Dr.

J. A. C. ROVERS, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Jur. Rom. et Hod. Dr.

G. MUURLING, Theol. Dr.

T. G. J. JUYNBOL, Theol. Dr.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI DE GREVE,

ORATIO

DE

JONA DANIELE MEYERO,

ICTO, DE PATRIA DEQUE JURISPRUDENTIA ET NOMOTHETICA PRAECLARE MERITO,

---

HABITA FRANEQUERAE D. XX JUNII MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Si quid est, quod his temporibus omnium in patria Ictorum animos occupaverit, est profecto rerum judicialium instans commutatio. Nec mirum. Nam nihil propemodum cum exspectaverunt diutius, tum saepius pluribusque de causis dilatum viderunt, tum vero efficacius judicant ad vim exercendam in gravissima negotia maximam. Hinc enim sibi, foro, jurisprudentiae, universae denique reipublicae insignia sperant commoda.

Verum enim vero quantum futurum sit, quod hinc redundabit, emolumentum, id ipsum nondum ne conjectura quidem assequi ullus potest. Hoc enim pendet et ex aliis, quos nemo mortalium praevideat, eventibus; — et ex novarum legum (quae ne cunctae quidem latae sunt), longiore demum usu cognoscendo, pretio; — et vero omnium maxime ex nostratium Ictorum studiis.

Quae quidem studia quantopere valeant ad juris disciplinam in reipublicae emolumentum excolendam et promovendam, hac equidem, Auditores, dicendi opportunitate, non argumentis probare, sed illustri popularis Icti exemplo ostendere decrevi. — Scilicet ob oculos mihi versatur Ictus ille, qui longe longeque majorem, qui non exspectatam, qui luctuosam, ab exteris nempe subactae patriae impositam, nobiscum expertus fuit rerum forensium commutationem. Qui tamen excellentis ingenii magnitudine, multiplici eruditione, maxime intensa industria, in peregrino illo adeo regnabat jure, ut cum nobilissimis etiam ipsius Franciae Ictis facile posset conferri. Qui, liberata patria, unus omnium fortissime obstitit, ne, si qua a victoribus olim accepta nobis essent egregia, cuncta haec, una cum victis, e patria expelleremus. Qui ut in practicis Ictis summum obtinuit locum, in maximis tamen fori occupationibus, scriptis compluribus, elegantissimis iis et utilis-

Digitized by Google

simis, de jurisprudentia adeo meritus est, ut his immortalitati se commendasse videatur. Qui tantum abfuit, ut in praesentibus patriis aut patriarum locum obtinentibus substiterit legibus, ut nobilissimorum Europae populorum judiciaria instituta praeclare indagaverit et contulerit. Qui denique, quaenam quo pacto in futurum optime statuenda forent, hinc et sagacissime inquisivit et prudentissime constituit. Vel fallor, vel nomen viri, quem exteri non minus quam populares et vivum plurimi fecerunt et mortuum celebrarunt (1), vestrum haud pauci suspicantur. Dicam igitur de JONA DANIELE MEYERO *Icto, de patria deque jurisprudentia et nomothetica praeclare merito.*

In hoc autem argumento, cujus quidem digne explicandi voluntati utinam haud cederent vires, ita versabor, ut *primum* quidem exponam, quaenam ingenii, animi, fortunae bona, quantaque eruditio, ad egregium Ictum et nomotheticum accommodata, in MEYERO fuerint; — *tum* vero declarem, quantopere in summum patriae emolumentum haec omnia converterit, quantoque jure utramque, quam dixi, disciplinam auxisse censendus sit.

Ut interdum *jurisprudentiae* nomine continetur gravissima illa *legum ferendarum scientia* sive *nomothetica:* ita tamen saepius distinguitur utraque disciplina (2). Neque illud absurde. Ut enim affinis inprimis est utraque, neque priore indigere potest posterior: tanto tamen altiore loco haec ipsa posita est, tanto quoque majora sibi vindicat, ut rarissimi sint, qui ad tantam utriusque studiis suis complectendae laudem adspirare et possint et velint Icti (3). Jam vero quae in utriusque studioso requiruntur, tam eximia haec erant in MEYERO, ut vix aliquid deesse videretur.

Ingenii enim dotes singulares prorsus si quis hic exigit, fuerunt hae in eo tantae, ut puerum jam omnes mirarentur (4). Illae inprimis, quae ad fingendum perfectum Ictum et nomotheticum maxime necessariae videntur.

Ad illa enim praesertim suapte ducebatur studia, quae ad vitae usum civiumque praesidium prae reliquis sunt comparata; nugas vero, ab eruditis licet pro gravissimis negotiis venditatas, aversabatur nobile illud et ad una clariora natum ingenium. Quod cum vitae lucem inprimis appeteret, inque interiores etiam animorum recessus penetrandi voluntate non minus quam facultate conspicuum esset, ad talem praesertim disciplinam, qualem jurisprudentiam novimus, natum fuisse, nemo dubitabit. Accedebant vero, quae

Digitized by Google

Ictum inprimis ornant, in hoc autem eminebant, nullos umquam labores reformidans alacritas, cuncta quam celerrime inveniendi sagacitas, in veris a falsis subtiliter distinguendis singulare acumen, id ipsum in quo quaestionis cardo vertitur continuo cernendi rara solertia. Nec minus mira memoriae vis et singularis ea adjutrice suo quaeque loco proferendi facultas, incomparabilis rerum dirimendarum momenta celeriter perspiciendi peritia, simpliscissima etiam principia ad gravissimas causas transferendi egregia scientia, quaecumque in utramque partem afferantur aequissime ponderandi eximia prudentia, post maturam denique deliberationem nulla suadendi judicandique dubitatio sed firma constantia.

His, ad jurisprudentiae et nomothetices studia eximie compositis, ingenii dotibus non dispar erat MEYERI animus; haud fucatus, liberalis, benevolus, gratus, fortis, constans, sui semper similis.

Patriae, si quis alius, amantissimus, quoties daretur opportunitas, factis (5) hunc amorem probavit. Neque tamen, si qua minus prudenter aut olim gesta aut jam geri ibi viderentur, haec suo loco improbare non audebat (6). Tanto praeterea odio ei erant praejudicatae opiniones, ut cujusvis, obscurioris quoque, aut aetatis (7) aut populi bona agnoscere, vanarum vero opinionum commenta, a caleberrimis licet defensa eruditis (8), infirmare non dubitaret. Gloriae autem, sed illius quam ipse veram judicabat, si quis alius, erat cupidissimus (9).

Eidem porro plurimas fortuna largita fuit opportunitates.

Parentibus enim usus fuit, in re satis lauta versantibus; quod autem maximum est, inprimis liberalibus et honestis. In urbe praeterea natali (10), Arnhemiae, ab ineunte fere aetate studiorum fautores praestantissimos habuit (11). Amstelodamum vero, puer adhuc, translatus praeceptores nactus est, paucos illos sed eximios: SWINDERUM, WYTTENBACHIUM, et (a quo uno juris petiit prudentiam, a cujus ore pependit, ad cujus inprimis praestantiam totum se composuit) CRASSUM. Quantum virum, qualem Ictum, qualem praesertim antecessorem (12)! In hoc enim erant singularis morum elegantia et integritas, maxima inprimis sed moderatione temperata fortitudo; qua, ut e civilibus superioris saeculi procellis boni aliquid manare posse agnovit, ita ne hoc inconsiderato multorum ardore interiret strenue obstitit. In eodem haud levis erat juris peritia; litterarum, popularis philosophiae, historiae

Digitized by Google

praesertim studio ornata. Rara denique (judice discipulo KEMPERO ([13]) in illo erat sagacitas in detegendis vel levissimis paulo excellentioris ingenii scintillis; eximia in illis fovendis et excolendis assiduitas et indefessa diligentia.

Accedebat hic alia quantivis pretii opportunitas. Commilitonibus enim amicissimis usus est, ne de aliis dicam, CORNELIO VOLLENHOVIO, ROBERTO HENRICO ARNTZENIO, JANO MELCHIORE KEMPERO, ANTONIO REINHARDO FALCKIO, praestantissimis tunc adolescentibus, maximis deinde viris. Quibuscum tam ad doctrinam quam ad virtutem nobilissima ei fuit contentio.

Quodsi ex iis, quae in MEYERO fuerunt eximia, nonnulla sibi vindicant magni viri parentes, praeceptores, amici; quaedam tamen temporibus fuere tribuenda. Quae si permulta pepererunt tristissima, in magna tamen ingenia qualem exseruerint vim, abunde constat. Inprimis enim a LUDOVICO rege ornatus fuit et excitatus ([14]). Quin etiam a NAPOLEONTE oppressa patria, egregiam nactus fuit conspicuo loco eminendi opportunitatem ([15]). Liberata vero eadem, ad singularem, ut videbimus, ab optimo rege GULIELMO vocatus fuit honorem ([16]), et equestris ordinis insignibus ornatus. Amplissima praeterea, ubi floruit, urbs; quaecumque ipsi privatim acciderint tam prospere quam adverse; quos, apud exteros eiiam, habuit, amici ([17]); quot et quantae ei fuerunt opportunitates!

His ingenii, animi, fortunae bonis accedunt alia, industriae, indefessis studiis inprimis debita. Fuit enim in MEYERO praeclara eruditio ac multiplex doctrina, quorumvis, quae Ictum et nomotheticum aut formant aut ornant ([18]).

Ex aliis enim disciplinis primum quidem huc pertinet singularis illa, exquisita, et vere ea philosopha variarum *linguarum cognitio* ([19]). Neminem enim fugit, quemadmodum nobilissimorum Europae populorum instituta, judiciaria inprimis, ex interiore etymologiae studio illustraverit summus vir. Hic autem, Francico licet, ut ab exteris intelligeretur, praecipue utens sermone ([20]), ad vernaculum tamen inprimis recurrit: — hunc ipsum ex omnibus Teutonicae originis linguis, ad Germanorum, unde quaevis fere repetiit recentiora juris instituta, linguam proxime accedere ratus ([21]). In quo tamen etymologiae usu non magis ingenio indulsit, quam in patrio sermone ab omnibus omnino exteris vocabulis purgando ridiculus haberi voluit. Quas quidem ineptias docte aliquando explosit ([22]). Quantum autem in his studiis valeret, Belgis etiam probavit, missa ad Bruxellensem academiam disputa-

Digitized by Google

tione, qua, qui factum, ut ex Belgis alii Flandrica, Wallonica alii uterentur lingua, erudite disquisivit ([23]).

Proximnm locum hic occupet *forensis eloquentia*. Ut autem, teste CICERONE, Q. MUCIUS SCAEVOLA, ita MEYERUS fuit jurisperitorum eloquentissimus. Quanta enim in eo elucebat perspicuitas, quanta elegantia, qualis urbanitas, quanta simplicitas, quae cuncta peroratione mirifice contrahendi, quae expedite respondendi, ut ajunt, solertia! Nihil in eo offenderes, quod a causa esset alienum, nihil quod non esset dilucidum! In eloquentiae luminibus parcus, quam apte tamen orationem ornare noverat! In voce si quid minus videretur placere, quam tamen cito id obliviscebantur cuncti! Maximi autem fuere, quibuscum in foro, tamquam in nobilissima acie, quotidie congrederetur, oratores iidem et Icti, MEYERO dignissimi adversarii. In quibus (de vivis enim tacendum) clarissima splendent WALRAVENI, VERBURGI, CUPERI, LINDENI nomina ([24]).

Numquam vero quanta in hoc esset eloquentia eluxit tantopere, quam in inclyta illa, pro LUDOVICO NAPOLEONTE de elegantissima illa suburbana villa, Harlemi dicta causa. Quae, licet per se haud ignobilis, non tamen omnium oculos adeo in se convertisset, nisi acta esset inter Principes viros. Quorum alter patriae nostrae olim licet obtrusus, regium tamen nomen haud indigne sustinuerat; alter vero ex antiqua heroum stirpe, omnium votis ad regiam dignitatem vocatus, magna cum laude imperabat. Quibus per se jam gravissimis accedebat controversiae, ceteroquin non difficillimae, cum politicis rebus, quae universam Europam agitaverunt, arctissima necessitudo. Ipsi denique, qui hic causas dixere, cum nobilissimorum illo aemulorum pare, cum HORTENSIO et CICERONE conferri mererentur.

Quantum igitur fuit hoc, coram tam frequenti illustrissimorum civium corona editum, spectaculum! Sed quam tamen difficiles MEYERO hic agendae partes! Cui, quo fere se converteret, metuendum, ne amplissimam illam offenderet auditorum coronam. Cui, ut causam rite illustraret, tot tantaque erant attingenda non modo, sed accurate exponenda, ut justae orationis fines longe superaturus videretur. Cui, cum adversarius cuncta fere, quibus peteretur, tela, una propemodum eaque tutissima ratione, caute evitaret, quot et quanta erant probanda! Quibus consideratis, si eloquentissimo regiae causae patrono hanc, justissime quaesitam, non negaverimus palmam, quod,

Digitized by Google

oblata opportunitate longe concinniorem, et ita ad persuadendum fortasse magis eam comparatam, orationem habendi praeclare fuerit usus: — ea tamen MEYERO, non minus justa, concedatur laus, quod, invitus licet coactus longiorem, et jejuniorum interdum expositione non aeque semper intensam, orationem habere, ita tamen dixerit, ut et nihil abundasse videatur, et nemo aptius, gravius, prudentius, quin et eloquentius dicere potuisset ([25]).

Tertio loco commemoranda *historia;* qua digne tractata nullam habuit humanae cognitionis partem aut graviorem aut nobiliorem; nullam praesertim, unde salubriora petantur reipublicae prudenter constituendae administrandaeque, firmiora publici juris principia. Hanc autem ita duxit colendam, ut primum quidem vera a falsis diligenter et acute distinguantur, ne res ex historicorum ingenio explicentur, sed monumentorum fide superstruantur; — tum vero ad earum capita adscendatur et qualis inter eas obtinuerit necessitudo accurate indagetur. Eo vero potissimum referenda haec studia, ut exponatur generis humani, qualis quovis tempore fuit, conditio moralis, et melius cognoscatur homo; — ut ad uberiorem omnium salutem inde petantur praecepta, vera vitae praesidia. Vel sic tamen ne minimas quidem res hic negligendas, quatenus vero nobiliores his illustrare liceat, has etiam curandas censuit. Quapropter chronologiam, genealogiam, similesque disciplinas, modo historiae recte adhibeantur, non contemnere solebat magni ingenii vir ([26]).

Ex immenso autem historiae campo illum, ut par erat, locum, qui juris instituta per Medium Aevum et recentiora saecula complectitur, ita selegit, ut in hoc praecipue habitaret ([27]). In quo adeo profecit, ut non tantum aliarum nobilissimarum Europae civitatum, verum Angliae etiam ([28]), obscuram illam, institutorum judicialium historiam ita teneret, ut pulcerrimo, quemadmodum videbimus, opere his studiis egregie consuluerit, seque immortalitati potuerit commendare.

Quem autem in historicis studiis patriae dederit locum, ut ex eodem nobilissimo illo opere ([29]), ita ex compluribus, doctis non minus quam ingeniosis, constat commentationibus ([30]). Quarum quidem ultima ([31]) (post ejus mortem, eheu, ab alio recitata) voluit probare, liberatae quidem ab Hispanorum dominatione patriae auctorem summo jure haberi GULIELMUM Arausiae principem; foederatae vero, ab unius principatu liberae, Batavae reipublicae

Digitized by Google

verum conditorem fuisse OLDEBARNEVELDIUM. Tantum enim abesse, ut ejusmodi reipublicae formam constituere voluerit GULIELMUS, ut contra monarchicum, sed modice illud temperatum, imperium sibi posterisque condendi animum ei fuisse, probabile videatur (32). Quod quidem consilium. ab aliis (33) quoque, nostra inprimis aetate, patriae libertatis maximo illi vindici tributum, longe absit, ut improbasse idque patriae bono GULIELMI morte evanuisse, existimandus sit MEYERUS. Hic enim uti ambitionem, modo non immoderatam, minime reprehendit, quin et in GULIELMO eam praedicavit (34); — ita in regia, sed juste illa circumscripta et prudenter temperata, imperii forma, fortissimum ponere solebat cujusvis civitatis praesidium (35).

Quae cum ita sint, cui mirum videatur, cum ab augustissimo Rege eligerentur qui in his literis principatum tenerent viri, qui literarii de optima scribendae patriae historiae ratione certaminis forent arbitri, his rursus fuisse adscitum, et, ut fertur, quae de his ad Regem referenda viderentur, literis mandasse MEYERUM.

Atque haec quidem hactenus. Si enim, quantopere amaverit *mathematica* studia, quam prudenter in *politica* versatns fuerit *oeconomia* (36), quanto denique opere popularem *philosophiam* ille dilexerit, qui nullam non disciplinam philosophe tractabat, exponere pergerem, a proposito abduci me paterer.

Quaecumque enim attigimus, quanta fuerint in MEYERO, ab eo tamen ad duplicem illam, quam inprimis profitebatur, disciplinam semper referebantur. Hoc autem adeo verum, ut postrema vitae parte indigne ferret, complures juris aut studiosos se dicentes aut consultos sic, ipso judice, in unam jurisprudentiae historiam incumbere, ut historiam propemodum jurisprudentiae suffecisse viderentur. Quae cum in ultimo quod edidit opere (37) inculcanda putavit, haud tamen scio, an ulterius quam par sit rapi se passus fuerit; — deque nobilissima, quae in Germania floret, *historica* juris *schola*, de ejus inprimis, quem ceteroquin laudibus cumulat (38), principe SAVIGNIO minus aeque judicaverit. Parum certe ibi attendisse mihi videtur aequissimus alioquin ingeniorum aestimator, eundem, qui in jurisprudentiae historia elegantem NOODTII et SCHULTINGII doctrinam secutus fuit, eundem igitur, praeclaro illo de *possessionis jure* opere, immortalia HUBERI et BYNKERSHOEKII vestigia dignissime pressisse SAVIGNIUM.

Digitized by Google

Verum haec in magno viro eo facilius feremus, quo pluris et germanum Ictum, judicem causarumque patronum, et vero nomotheticum faceret (39). O praeclaram illam, quam saepius scriptis (40) depinxit, quam vita ipse expressit, horum imaginem! O acerrimam summi viri indignationem, qui cum tanta in Icto requireret, nihil aegrius tulit, quam quod in legendis judicibus tam parum saepe attendi videretur, qualia sint quae his credat respublica (41)!

Hic autem cum tot et talia in aliis requireret, nihil eorum ut in ipso desideraretur, per integram vitam indefesso praestitit labore; — et vel in occupatissima vita cum quotidiano juris usu ejusdem studium perpetuo conjunxit.

Quo minus mirabimur, eundem, sive causas oraret, sive de jure, privato certe, scriberet, ad limpidissimos illos saepius recurrisse fontes juris *Romani;* quod ut maximi fecit ita impense commendare consuevit (42). Pothieri inprimis, practicam illam et ad fructum uberrimam, ejusdem tractandi rationem, si quis alius, miratus (43); — Digesta quidem in praecipuis habuit deliciis (44), reliquas vero Justinianei juris partes minime negligendas duxit (45). Non quidem tantum ei erat otii, ut minutiores etiam Romani juris historicas persequeretur controversias. Sed Gaji tamen, Veronae repertos, institutionum commentarios in quotidianum usum convertere solebat (46). Nec minus paucis quidem, sed vividis illis, lineamentis juris Romani historiae effigiem adumbrare novit (47). Interiorem vero horum studiorum familiaritatem, praecipueque eorum principatum, aliis reliquit; quo diligentius recentiorum gentium institutorum judicialium historiam, qua magis indigere sibi videbatur, elaborare ipsi liceret.

Quaecunque autem, dum vixit, in patria juribus successerunt jura, nullum non improbo labore coluit. Primum quidem, quod in ea, ubi fortunarum sedem posuerat, regione receptum invenerat, *Hollandicum*, confusum illud in multis et deforme; quod ex ipsis Germanicis fontibus altius repetere et interpretari amabat (48). Tum Ludovici regis *Francico-Hollandicum;* in quo quae laudabilia essent quaeve reprehendenda pari diligentia atque aequitate inquirere et dijudicare solebat (49). Tandem *Francicum;* quod ut in multis admirabatur, et ab injustis obtrectatorum reprehensionibus ubique vindicare, ita quae vitiosa in eo ipsi etiam viderentur palam profiteri solebat (50).

Mercatorio juri, si cui alii, diligentissimam impendit operam (51). Quo consilio non modo quaecumque ex jure huc facerent accuratissime perscru-

Digitized by Google

tari, verum et mercaturae indolem, mercatorum mores, propria etiam hujus artis verba, quoad ejus opus esset, maxima sagacitate indagare studuerat. — Eam quoque juris partem, quae *experiundi* in foro ratione occupatur, adeo in numerato habuit, ut numquam, quo cautissimo agendum esset modo, non statim perspiceret (52).

Cum *publico* etiam jure haud vulgarem contraxit familiaritatem. Eam enim ejus partem, quae in criminum persecutione versatur, eam dum judex fuit quotidie, dum causarum patronus saepe attingebat. Illam vero, qua continetur tota respublica, quae tamen et ipsa cum privatis disceptationibus necessario nonnumquam cohaeret, non minus amavit quam coluit: ut ex disputationis, CRASSO praeside defensae, argumento jam apparuit.

Illud autem singulare in eo animadvertitur, quod populorum patriae vicinorum jura tam accurate perscrutatus fuit, ut nemo apud nostrates magis (53).

Cunctis his, naturae partim, partim vero industriae bonis accessit, velut culmen, maximus *usus*. Si qua enim est disciplina, in qua, non dico aliis excellere, nedum principatum tenere, verum quae deceat praestare, nemini liceat, nisi quietis studiis placidisque lucubrationibus accesserint frequentiora negotia et insignior usus, est profecto jurisprudentia. Quam enim ineptus saepe qui in negotia subito conjicitur novus Ictus! Quot sunt, quae usu demum recte intelligantur et velut alio tingantur colore! O quantum ad vitam, non ad unam meditationem, comparata est jurisprudentia!

Illa igitur, quae praeclarissimum quemque Ictum Romanum, quae ex nostratibus VIGLIUM, GROTIUM, HUBERUM, BYNKERSHOEKIUM ad summum in jurisprudentia locum evexit, — rationis et usus conjunctio, — tanta in MEYERO fuit, quanta in nemine fortasse major (54).

Altera orationis parte videamus, quemadmodum talibus tantisque dotibus instructus MEYERUS, has ipsas non tantum in patriae salutem, verum in augendas etiam et amplificandas jurisprudentiam et nomotheticam, ita converterit, ut de patria non minus quam de utraque illa disciplina praeclare meritus fuerit.

Intelligitis autem hic, Auditores, quales hic praedicemus MEYERI laudes. Magnum sit, in quacumque re operam ponimus, sive ea ars sit, sive doctrina, ita ipsam in civium emolumentum convertere, ut quam plurimos nobis

Digitized by Google

devinxisse universaeque patriae eximie profuisse jure dicamur. Quanto vero majus, quanto magis arduum est praeclare mereri de patria non modo, verum de ipsa etiam quam colimus disciplina. Hic enim ut firmius jacta fuerint hujus fundamenta, aut insigniter prolati ejusdem fines, aut eximiis amplificata sit inventis; — hic, ut rem paucis complectar, ut ingenti aucta fuerit incremento, ut ad universum genus humanum, ad posteritatem etiam, redundent horum meritorum fructus, jure requiritur. Tales, in sua quisque arte aut doctrina, heroes inter recentiores fuerunt GROTIUS, BOERHAVIUS, NEWTONUS, HEMSTERHUSIUS. Tales nostra quoque memoria, in physicis fortasse disciplinis paulo plures, in moralibus fuerunt perpauci. In his tamen suum locum occupare mihi videtur nostras MEYERUS. Quod ut probem, hinc, Auditores, ordiri juvat.

Studiis in Athenaeo Amstelodamensi peractis, vixdum expleto decimo sexto vitae anno, eadem igitur qua GROTIUS aetate, in Academia Lugduno Batava juris doctor renunciatus, Amstelodamum studiorum laborumque sedem elegit MEYERUS. Causarum patrocinium ibi suscepit, sed ita suscepit, ut domi jurisprudentiae et quibusvis Icto utilissimis studiis indefessam operam navare pergeret, judicia vero quotidie obiret: — eo praecipue, quod numquam commendare destitit ([55]), consilio, ut, diligenter consideratis quaecumque in foro agerentur auditisque prudentioribus Ictis, in usum converteret doctrinam et ad optimi cujusvis exemplum ipse se formaret. Paulatim vero, editis etiam eruditionis speciminibus, civibus coepit innotescere, omnium oculos in se convertere, dignusque judicari cui insigniores etiam committerentur causae ([56]). Quae egregii juvenis fama brevi adeo crevit, ut, regis etiam LUDOVICI gratia inita, ab eodem primum quidem eruditae illi, ab ipso Regii Instituti nomine conditae, societati adscriptus, mox vero publico totius imperii diario ([57]) praefectus fuerit MEYERUS. Neque regis spem fefellit, quin etiam utroque munere tam digne functus est, ut ita etiam de patria optime fuerit meritus. Testes sunt innumerae illae, ab eodem inter doctos illos commilitones habitae, orationes, iisque praelectae commentationes, illustrandis et augendis patriae literis, historiae, judiciariis inprimis et politicis institutis mirifice inservientes ([58]). Testes non minus complures, patriae amore ferventes, adversus Francici etiam imperii calumnias et impotentiam strenue eam defendentes, diario illi insertae ejus disputationes ([59]).

Digitized by Google

Nec minus afflictis, prostratis etiam a Francis, patriae rebus, sensit, quanti civium interesset, ut, funditus licet eversa republica, quantum tamen posset praesidii afferret optimus quisque.

Itaque in ipso virilis aetatis flore, cunctas in unam patriam vires intendere constituit. Quapropter publici diarii curam, rem arduam tam ancipiti tempore, continuare non dubitavit (60). Literariae autem majorum gloriae memoria insertis ei disputationibus saepius revocata (61), his nun minus, quam divinis carminibus HELMERSIUS, patriae amorem in civitate servare conatus fuit MEYERUS. Idem provinciae consilio (62) adscitus, quodcumque ei liceret aut avertere discrimen, aut constituere bonum, pari prudentia atque fortitudine tetendit. Quod vero praecipuum est et hujus inprimis loci, ex quo tempore peregrina et inaudita ex inopinato introducta fuere jura, in Amstelodamense judicium publice vocatus, in extera illa jura ita incubuit, ut brevi numquam non in iis versatus videretur; — susceptum autem munus ita explevit, ut perfecti fere judicis speciem retulerit, ut de foro certe deque patria optime meritum eundem nemo facile negaverit (63). Quae omnia eo clarius in illo eluxerunt, quod, in tanto rerum discrimine, gravissima illa causarum criminalium instruendarum provincia, — qua (ipso judice (64)) nulla est, aut ad bene de civibus merendum aut ad vexandos eosdem opportunior, — huic fuit mandata. Insuper vero (adeo enim erat indefessus) civilibus quidem perpetuo (65), aliis quoque haud raro intererat iudiciis; quin praesidis etiam variis illis muneribus saepius fungebatur. In quibus tot tantisque negotiis, domi tamen juris studiis otium reperire, aureum illud de jure quod *transitorium* dicunt opusculum literis mandare potuit.

Ipso arduo illo, quo Francicum jugum excuti coepit, tempore de Amstelodámo (66), biennio post in legis de imperio, ut videbimus, conscribendae societatem vocatus, de universa republica bene meritus, post sexennii quo judex fuit intervallum ad causarum patrocinium rediit.

Hinc nobilissimae undique mandatae ei fuere controversiae: neque ulla fere gravior per totam patriam fuit causa, de qua non consuleretur. Tanta autem fuit ejus alacritas, ut statim plerumque ad respondendum esset paratus. Quo facto non raro clienti depromere solebat celebrioris, qui quam significasset sententiam probaret, scriptoris locum. Inprimis autem de iis frequenter consulebatur, quae peregrini juris peritiam requirerent. Tum caute non minus

Digitized by Google

quam modeste, exterum illud jus non quidem se profiteri, sed tamen ita sibi videri, dicere solebat. Et vel sic tamen tam accurata tunc etiam erant ejus responsa, ut fides iisdem tuto haberi posset. Tanta autem peregre erat ejus fama, ut undique ad hunc confluerent, in his molestiores etiam, exteri; — utque aliquando, de quodam nostratis juris loco, celeberrimorum nostratium Ictorum consilium requirens Angliae concellarius, ut MEYERI etiam peteretur sententia, nominatim significaverit.

Suscepto causae alicujus, gratuito saepe, patrocinio, quantum et juris scientia et eloquentia valeret, tantum etiam praestare conabatur. Ne tum quidem cum ad superiorem judicem ex provocatione deferretur causa, ope consiliove deësse solebat. Quantopere autem in doctrinae etiam emolumentum usum conferre amaret, eo etiam probavit, quod quas in foro attigisset graviores juris quaestiones, easdem nonnumquam de novo doctiusque elaboratas eruditis collectionibus inseri curaret (67).

Ex talibus quantivis pretii speciminibus, ex eorum qui causas orantem saepius eum audiverunt testimoniis, ex elegantissima illa et eruditionis copia abundanti, quam supra commemoravimus, de suburbana illa villa Harlemi habita oratione, qualem hic se praestiterit Ictum, non quidem conjicere, sed certo statuere licet.

Quae cum ita sint, cumque tantum abfuerit, ut clientibus umquam deësset, ut adversus magistratuum etiam, si necesse videretur, decreta, pari tamen observantia atque fortitudine, iis adesse numquam dubitaret; — splendidis illis, ingenti plerumque labore nec semper absque invidia quaesitis, laureis nec dignior quisquam, nec de cunctis civibus praeclarius meritus fuit Ictus aut causarum patronus; — ut in hoc apparuerit, quam verum sit illud Imperatorum Romanorum (68): — « Advocati non minus provident humano « generi, quam si praeliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. »

Nec minus eximie famae non tantum, sed patriae quoque et jurisprudentiae consuluit MEYERUS, scriptis egregis de jure editis. Quorum quidem pleraque ut ex ipsis quibus vixit temporibus, aut ex nobilioribus quibus praefuit controversiis opportune manarunt, ita doctrina abundant uberrima.

Initia hujus doctrinae ex eleganti jam apparent, praeside CRASSO defensa, disputatione. Cum enim ex rerum in Francia conversione multae novae ortae essent sententiae, aliae quidem antiquas emendantes, aliae nisi temerariae certe dubiae, aliae vero etiam nimio atque inconsiderato libertatis studio

Digitized by Google

elicitae ([69]), perniciosae quin et pestiferae; — in his eminebat ista PAYNII ([70]) opinio: in civitate posteros ex majorum pactis conventis non esse obligatos. Istam igitur, quae si vera foret, omnis vacillaret civitas, istam igitur opinionem disputatione illa ita refutavit, ut justas laudes consecutum fuerit juvenile illud opusculum ([71]).

Hoc tamen multo doctior est dicenda, qua, annum agens vicesimum quartum, ad Berolinensis Academiae quaestionem respondit, commentatio. Quam licet, utpote serius allatam, praemio ornare non potuisset celeberima illa eruditorum societas, tam impense tamen laudavit, ut publici juris eam facere incitaretur auctor. Ex medio criminali et jure et nomothetica sumtum erat disputationis argumentum. Illud vero inprimis probare studuit MEYERUS, in ea delictorum aestimatione, qua ad ipsos reos exigitur ab eorundemque conditione pendet poena, attendendum praecipue tam ad ea quae crimen comitata fuerint quam ad auctoris ingenium, nec nisi secundo loco ad probabilem ipsius confessionem. Ut autem (dicam enim quod sentio, Auditores!) quidam irrepsisse videntur errores, — juvenili praesertim auctoris aetati tribuendi, eoque magis excusandi, quo minus nostratibus tunc jam satis innotuerant illustriores illi, qui in Italia et Germania de juris criminalis studiis melius mereri inceperant, scriptores; — permultis tamen, veris iis et pulcris, se commendat, haec commentatio ([72]).

Pulcrius autem sibi condidisse videtur monumentum, edito anno hujus saeculi decimo tertio de *transitorio* (ut dicitur) jure quantivis pretii libro. Neque enim, in civili certe jure, multiplicibus illis et difficilioribus, ex gravissimo illo ab abrogatis in novas leges transitu facile oriundis controversiis, ut nuper apud nostrates, ita olim apud Francos generali lege occurerat legislator. Neque ex paucis quae jam aderant de hoc argumento scriptis satis illustrari posse videbantur frequentes, quae in Amstelodamense inprimis judicium deducebantur, hujus generis lites. Quo perspecto, in privatum usum generaliores aliquot, ex quibus quasvis dirimeret hujusmodi controversias, concepit regulas; quas tamen, ne ex uno ingenio depromsisse videretur, quoad ejus liceret, specialibus Romanis Francicisque, de nonnullis hujus argumenti quaestionibus, legibus confirmare studuit. Hic autem libellus cum ingeniosi pariter atque docti viri collegis, et vero etiam clarissimo TYDEMANNO, amico integerrimo perplacuisset, edere eundem non dubitavit. Quae vero hoc ipso exponuntur

Digitized by Google

et illustrantur principia ut, paucis exceptis, per integram patriam in foro secuti sunt judices: ita qui arduum hoc argumentum deinde elaborarunt huic praesertim multa debuerunt docti Icti (73).

Reliquis majoribus iis operibus, quamquam ad nomothetica praecipue studia referendis et idcirco accuratius deinde considerandis, judiciaria Europae instituta ex intima historia et philosophia tam egregie illustravit, ut multa huic debeat juris Europaei historia. Iisdem haud secus quam nonnullis, eruditorum collectaneis insertis disputationibus (74), Francica praecipue jura non modo saepius ab injuriis vindicavit, verum haud raro quoque eximie interpretatus est.

Quantopere vero in mercaturae quoque emolumentum jurisprudentiae studia convertere amaverit, neque tamen ita ut jura aut non curaret aut ad mercatorum voluntatem torqueret, vita non minus quam scriptis luculenter probavit. Ut enim, quicumque cum legibus nullo conciliari valerent pacto, pertinaciores licet, mercatorum usus exstirpandos radicitus duxit: ita si qui essent aut necessarii aut utiles, nec legibus tamen contrarii, hos ipsos ut tueretur in praecipuis ei fuit deliciis (75).

Eximia fuerunt, quae in MEYERO Icto consideravimus. Majora tamen spectavit. De *nomothetica* quoque saluberrima illa disciplina bene mereri voluit (76). Quam ut praeclare jam ornare coeperunt, ne de BACONE dicam, MONTESQUIEVIUS, FILANGIERIUS, pauci alii: — recentem tamen, a BENTHAMO inprimis cultam, eandem merito appellavit (77). Quodsi, ut fructuosa sint haec sublimiora quidem verum ad vitam tamen accommodanda studia, — praeter infinitas fere et singulares ingenii, animi, doctrinaeque dotes (78), — juris quoque rerumque forensium haud mediocris requiritur usus, nec minus tanta historiae peritia, ut quae singulis congruant gentibus hinc redundent uberrime; — tantus denique justi honestique sensus, ut hinc praecipue, non ex unis ns quae utilia videantur, repetantur omnia; — aut egregie fallimur, aut ipso etiam BENTHAMO huic disciplinae longe magis idoneus fuit MEYERUS (79).

Quae si ita sunt, eo magis dolendum, quod non nisi una, quamquam nobilissima ea, opportunitate, quid hic in patriae usum praestare valuerit, probare ei licuerit. Cum enim anno hujus saeculi decimo quinto, ex Principum Europaeorum decreto, in unius civitatis corpus coalescentibus patria nostra et Belgio, nova et ad totum regnum composita requireretur de imperio

Digitized by Google

lex; — qui nobilissimis hujus scribendae ergo convocatis viris interesset eorumque acta scripto consignaret, nemo tam idoneus a Rege fuit habitus quam MEYERUS. Qui quin difficillimam hanc provinciam egregie administraverit; — quin in totam legem et concipiendam et constituendam tam ope quam auctoritate plurimum valuerit; — quin de eo praecipue hujus legis capite, quod juris administrationem definit, praeclare meritus sit, nemo dubitat ([80]).

Quae autem ad privatam biennio post redux vitam, neque umquam deinde ad rempublicam vocatus ([81]), re ipsa civibus non amplius potuit, scriptis ea praestare non destitit, ad nomotheticam inprimis vocatum se sentiens.

Jam enim duplici docta disputatione, jam anonymo opere, cujus primariam partem scripserat, hujus quoque peritiae periculum dederat. Ex quibus speciminibus, qualia deinceps ab indefesso viro exspectanda essent, augurari licebat.

Prior (quam supra etiam memoravimus) BEROLINENSI Academiae missa commentatio, quaestionem, non modo quatenus ad jurisprudentiam verum et quatenus ad nomotheticam spectaret ejus vis, tam accurate tractaverat, ut cum paucis ejusdem generis, in patria tunc editis, scriptis ad criminalis juris emendationem nostrates non excitare non potuerit ([82]). Altera vero, a NEMAUSENSI Academia praemio ornata ([83]), propter sana ibi exposita principia summas mereri videtur laudes. Probavit enim (in quo, quamquam eo tempore ignorans, cum magno convenit BENTHAMO) probavit, foenori praescribere modum, nec oportere nec posse legem. Illud autem autem unum esse legislatoris, foeneratorum licentiam, quando in vexationes converteretur, caute reprimere; — pactis vero non constitutam ita lege definire usuram, multa tamen ut relinquerentur judicis prudentiae ([84]).

Ubi autem, excusso Francico jugo, metus esset, ne, repudiatis illis etiam quas praestantes cognoveramus Francicis legibus, quaecumque olim apud nostrates viguissent in patrium forum temere restituerentur, hanc praecipue ob causam cum amicis Ictis epistolas edidit, quibus, ne quid hinc respublica detrimenti caperet, fortiter restitit. Suo enim cunctis tam Francicis quam patriis legibus tributo jure, nullarum tamen imitatione obstringendos censuit legislatores: quaecumque vero ex philosopha variorum jurium collatione et ex ipso usu optima et nostratibus maxime congrua viderentur, novis legibus recipienda commendavit. Tot autem tamque gravia hic attigit, cum jurispru-

Digitized by Google

dentia et nomothetica interius conjuncta, argumenta, ut, si nihil aliud edidisset, hinc tamen non leves in eum redundassent laudes ([85]).

Ut igitur, unde digressa est, eo jam redeat oratio, ad privatam reversus vitam, forensia non prius recepit negotia, quam edito opusculo, quo tam politices quam juris argumentis demonstraret, quantopere necesse esset, ut, donec absolverentur novae leges, interim lege de imperio promissum institueretur supremum consilium ([86]). Quod quamquam evidenter probasse mihi videtur; quo tamen nescio fato nuperrime demum, una fere cum novis legibus judiciariis, constitutum fuit augustum illud judicium. Hoc autem ut omnium bonorum votis et secundis, ut speramus, inauguratum est ominibus; ita quicumque huic interfuturi sint VIGLII et BYNKERSHOEKII vestigiis ut insistant, precamur omnes.

Verum enim vero quantumvis licet excellant, quae celebravimus, MEYERI opera; nullum tamen, — sive consideres argumenti et amplitudinem et novitatem, sive immensam quam ei impendit industriam, sive nobile quo spectavit consilium, — nullum fuit, quo de juris historia et de nomothetica adeo meritus sit, quoque tantam tamque justam sibi comparaverit famam, quam immortali illa institutorum judicialium Europaeorum historia.

Cum enim perspiceret, quam verum sit illud MONTESQUIEVII, ut ex legibus historiam ita ex historia leges esse illustrandas; nec minus persuasum sibi haberet, ex usu quidem rationem ex ratione vero usum prudenter esse temperanda: postremae eique nomotheticae hujus operis parti historicam quantivis pretii praeposuit disquisitionem. Hac enim, ab ultimo fonte, a Germanis, repetita, per Medium Aevum et recentissima saecula ad nostram usque memoriam, persequitur nobilissimorum Europae populorum juris instituta, late accepta, quatenus tam cum universa republica quam cum veris privatorum commodis interiore jungantur necessitudine. — In qua quidem gravissimarum rerum expositione quaenam maximopere laudanda videantur, ut dictu est difficile, ita utrum ingenio an eruditioni palmam hic deferamus, dubii haeremus. Quam enim hic omnia ex ipsis fontibus accurate petita reperimus! Quanto hic cum judicio recentiorum quoque nobilissimum quemque in usus conversum scriptorem! Quanto cum acumine, sed quam tamen prudenter, criticam hic cunctis adhibitam! Quam hic ingeniose, quam tamen vere, omnia tamquam in tabula intuemur exposita! Quam exquisitas et vere eas

Digitized by Google

philosophas his intermixtas miramur observationes! Quam eruditas, nec tamen umquam ineptas, digressiones! Quam eleganter, sed quam tamen caute, collata variorum populorum instituta! Quam acri quidem sed aequo judicio cuncta hic subjecta! Quam dilucide distincta quaecumque ad imitationem sint commendanda, ad cautionem notanda! Quam conspicuam rempublicam inter et judiciaria instituta, constantem illam, necessitudinem (87)!

Hoc igitur tam firmo historico fundamento ultimam eximii, nec cum ullo alio comparandi, operis partem, ex ipsius sententia praecipuam, nomotheticam ita struxit, ut primum quidem quaecumque in quovis legum corpore requiri videantur, tum vero gravissimorum juris institutorum optimam, ipso judice, formam accurete non minus quam eleganter exposuerit. Hic vero longe absit, ut quaecumque apud Anglos praesertim aut Francos repererit, paucis mutatis reddiderit. Cuncta enim cunctis parum convenire populis, omnes quoque justitiae prudentiaeque numeros nullam explere civitatem, adeo hic vidit, ut Anglorum etiam, quae magnopere miratur, instituta cum unis tamen ipsorum moribus pleraque congruere, nonnullorum quoque eorundem ineptia obscurari reliquorum praestantiam, ingenue professus sit (88).

Unde quoque repetendum, ultimo quod edidit opere, hujus ipsius quod palmarium habendum corollario, nec tamen pari diligentia elaborato, Anglicae etiam civitati, juris consuetudinarii acerrimae ille vindici, unarum tamen scriptarum legum usum, earumque uno veluti corpore continendarum rationem commendasse quidem MEYERUM, sed ita tamen commendasse, ut singularibus hic opus fore cautionibus, prudenter significaverit. Quo quidem opere cum historicam illam, quae in Germania floret, jurisprudentiae scholam, unius consuetudinarii juris indefessam illam patronam, et propter hanc ipsam opinionem et propter historici juris studii, ut ipsi videbatur, abusum acerbius exagitasset, tam malam apud nonnullos ex ea schola profectos doctores gratiam iniit, ut integrum hujus librum, multa tamen praeclara continentem, misere laceraverint (89). Adeo indigne tulerunt, in nostra, SCHULTINGII quoque, HOODTII, aliorum, quibus tot debent, patria, eo audaciae processisse Ictum, non scholam, sed forum, sed vitam redolentem, ut ab ipsis dissentire, ut ipsos impugnare veritus non esset!

Verum insignius de jurisprudentia, praeclarius de nomothetica, — tum

Digitized by Google

multis aliis, tum praecipue incomparabili illo, in suo, novo fere, genere facile primo, ad rerum publicarum salutem divinitus exstructo, monumento, — meritus fuit MEYERUS, quam ut vel levissimum hinc detrimentum pati potuerit, vivi jam constans, mortui vero aeternitati commendata fama.

Tale enim fuit patriae, quam per totam vitam illustravit, decus; tantum Europae, quae tot ei accepta grata significavit, ornamentum; — ut finis vitae ejus (9°) extraneis tristis, civibus luctuosus, Ictis vero moestissimus fuerit. Ac merito quidem. Nam suo ille exemplo docuerat, quantum sit disciplinae nostrae in egregii Icti studiis praesidium.

Idcirco, — ut eo redeat, unde profecta est oratio mea, — instanti praesertim rerum judicialium commutatione, — nihil sane vehementius optandum videtur, nisi ut in MEYERI exemplum intueantur nostri ordinis homines. Quodsi hac equidem oratione non neminis, juniorum inprimis Ictorum, mentem illuc converterim, erit profecto quod gaudio perfundar totus, nec umquam me poeniteat MEYERI celebrandi laboris.

Digitized by Google

Sed veniam eo, quo hujus diei solennitas me jam dudum vocat.

Priusquam enim provinciam, quam ante biennium fere, faustis suscepi auspiciis, majorum more, in designatum successorem transferam, paucis exponenda sunt, quae me Rectore illustrissimo huic Athenaeo acciderint.

Haec autem cuncta propemodum laeta fuisse grato erga Divinam Providentiam animo agnoscimus.

Primum hic memorari oportet, vos, amplissimi Curatores! nobis, huic Athenaeo, Frisiae, Patriae, sospites et incolumes fuisse servatos. Dolemus tamen non ea valetudine uti praesidem vestrum, virum illustrissimum, Frisiae gubernatorem, Athenaei vero nostri eximium vindicem atque patronum, ei ut solennibus his interesse liceat. Tanta autem, per hujus quoque biennii intervallum, et hujus egregii viri et vestra in hoc Athenaeum fuere merita, ut quaecumque ad tuendum hoc ipsum et ornandum a vobis sperare quis potuerit haec omnia et suscipere et perficere non dubitaveritis.

Pergite comitate et benevolentia nos prosequi! Hoc autem vobis, ut adhuc est, ita porro sit persuasum, nihil nobis esse antiquius, nisi ut vobiscum enitamur ad illustrandam et amplificandam inclytam hanc bonarum artium sedem!

Quantopere vero Athenaei commodis consulere et velint et possint amplissimi Curatores, praeclare apparuit, ubi, ante annum et quod excurrit, hic vacaret theologiae professio.

Cum enim oculorum valetudine jam dudum laborare se questus fuisset clarissimus DE GEER, neque per varias Europae regiones suscepta peregrinatio, neque plurium, eorumque celeberrimorum ophthalmologorum consilia huic malo remedium afferre potuissent, satis illud idoneum perpetuoque salutare; moderate quidem hanc calamitatem tulit eruditissimus vir. Idem vero post varias studiorum intermissiones, tandem persuasum habuit, quotidiana legendi scribendique consuetudine in dies crescere istam aegritudinem, neque amplius idoneum se existimans qui gravissimo munere, ut par esset, fungeretur; Athenaei, quod accurata multiplicique doctrina per annos complures ornavit, saluti illud se debere censuit, ut honorificam peteret missionem et ad privatam vitam rediret. Qua, haud ita multo post ab Augustissimo Rege impetrata missione, urbem patriam Ultrajectum, rura deinde paterna repetiit.

Digitized by Google

Ibi autem ut placido fruatur otio, sed eo tamen otio, ut, quam, pluribus quoque iisdemque praemiis ornatis commentationibus, in theologia sibi paravit, famam et sustineat et augeat, ex animo optamus!

Vacantem igitur theologiae professoris provinciam, ut brevi susceperis, clarissime MUURLING, praestitit illustrissimorum Curatorum omnibus gratissima vigilantia. Quam enim cunctis acceptus fuit nuncius, quo, ante annum fere, ad omnium notitiam pervenit, Tibi delatam esse, quanto vero gratior, a te tum simul oblatae Enchusanae et Leovardiensi stationi antepositam fuisse theologiae in hoc Athenaeo docendi provinciam! Qualis enim ab ineunte aetate fueris veri pulcri bonique studiosus, quo haud fucato sinceroque animo, quantopere, ut verbo dicam, ad conciliandum Tibi omnium amoren natus videaris, experti fuerant quiqumque Te familiariter essent usi. Quod vero ad studia Tua theologica attinet et ad rationem, qua ex Academiae spatiis in vitam transgressus practicam, sancto Tu functus fueris ministerio; optima quaevis testabantur Tui praeceptores, confirmabant Tua scripta, probabant denique, qui Te sanctissimae religionis antistitem aliquot jam annos suo bono usi fuerant.

Quam autem de Te susceperamus spem, hanc minime fefellit eventus. Primum enim oratione inaugurali, ad haec tempora tam prudenter accommodata; scholis deinde, perspicuitate, elegantia, dignitate conspicuis; sacris denique orationibus ad vitam bene beateque vivendam omnes praeclare excitantibus; et vero integra vita, probare incepisti, quanti facias eximium, quod Tibi delatum est munus.

Pergas igitur, ut facis, amicissime vir, de nobis, de Athenaeo, de studiis, de religione optime mereri; et faxit Deus Optimus Maximus, ut permulti ex Tua disciplina tali praeceptore digni exeant discipuli!

Te autem ubi intueor, venerande senex, clarissime DE GRANE, cui, octogenario hoc ipso vere impleto aetatis anno, collegarum nomine solenniter gratulari mihi contigit; Te, cui singulare hoc divinitus obtigit beneficium, ut unis annis, non corpore neque animo, senex sis; nescio quae, me tenet admiratio summaque Tui veneratio.

Ubi autem mecum reputo, quemadmodum nulla fere sit vera vitae delectatio, qua Tibi frui non amplius liceat, nullumque propemodum negotium,

Digitized by Google

a quo gerendo Te senectus abstrahat, quantopere dilectissimis tuis studiis quotidie occupatum, quam flagrantem semper te videamus; tum demum mihi apparet, quam vera sit Catonis illa apud Ciceronem senectutis laudatio. Quodsi vero in memoriam revoco laetum illum superioris anni diem, cum, hanc urbem revisens, Augustissimus Rex summa Te reverentia acciperet, et ita Tecum confabularetur, ut ad lacrymas usque commotus videretur, vix crediderim, clariori nos unquam interfuisse spectaculo? Quantopere vero velim, clarissime vir, ut, quod Tu unus possis, continues VRIEMOETII Athenas Frisiacas! Aut enim me omnia fallunt, aut nullo gratiore munere festum illum sequentis anni celebrares diem, quo per dimidiam saeculi partem literarum functus fueris professione, quam edito eo ipso die tali, ab omnibus desiderato, Academiam Frisiacam vere ornaturo, opusculo. Sive autem hoc, sive quocumque alio modo, sive clarissimi WASSENBERGHII instar nobilem hunc celebrabis diem; ita illum transigas, omnes speramus, ut, quanta Tua grati in Deum animi significatio erit, tanta tibi futura sit vitae beatae spes!

Ex reliquis collegis quibus cunctis, integris viribus in studiorum suavitate vitam transigere datur, quanta in te inprimis, amicissime MULDER, posita est nostra spes, ut, quod jam dudum agitas, hoc brevi perficere incipias consilium elaborandi et edendi insignem eam naturalis historiae et anatomiae comparatae partem, quae in *cetaceis* versatur. Age, amicissime, totis viribus in hoc opus incumbere pergas; et sublimiores Tuas, ad Divinae Providentiae venerationem incitantes sententias, undique conquisitis speciminibus egregie probatas, cum erudito orbe communices!

Nec minus hic excitatos velim collegas conjunctissimos JUYNBOLL et ROVERS. Quorum ille quam de HAMAKERO habuit orationem tam erudite edidit, ut de literarum orientalium historia, de patriae nostrae in his studiis partibus, eximie meritus videatur, et magnam eorum, quae ex scriniis depromere meditatur, exspectationem nobis fecit; ille vero tam elegantissimis orationibus, quam assiduis de historia deque philosophia lucubrationibus, pulcerrimam nobis dedit spem, ut de his literis aliquando ea editurus sit, quae HEUSDIO, quam patris instar merito colit, non sint indigna. Hic autem non possum, quin egregium virum incitem ut, cujus nobis dedit jam exspectationem, nobilissimam patriae historiae tradendae provinciam, nemini hic jam mandatam, brevi suscipiat.

Digitized by Google

In iis, quae Athenaeo prospere contigerunt, illud quoque referre non dubito, quod Te hujus civitatis consulem salutare licet, amplissime STINSTRA! Illud enim in Te huic Athenaeo singulare contigit bonum, quod patre usus fuisti viro, eruditionis et pietatis ergo summopere venerando, eodem illo hujus ipsius Frisiacae Academiae summa cum laude Curatori, PETRO STINSTRA. Quantis enim hanc bonarum artium sedem beneficiis cumulavit pater, tanta etiam a filio, tanto patre digno, quis non exspectet? Pergas igitur Athenaeum nostrum benevolentia prosequi, humanissime Vir! Et persuasum habeas, hac ratione omnium Te Tibi conciliaturum amorem!

Magni, quis negat, hujus Athenaei refert, ut provinciam recte administrent professores, ut iiscum amice conspirent hujus urbis Magistratus. Sed quanto tamen magis a vobis, dilectissimi juvenes, praestantissimi hujus Athenaei alumni hujus ipsius praeclari instituti positi sunt flos et honos. In vos, in vestra studia, in vestros inprimis mores et humanitatem conversi sunt omnium oculi. Ad vestram inprimis, qua hic floretis, existimationem; ad vestram, qua in academiis utemini laude; ad vestram, qua Rempublicam aliquando ornabitis famam; suum de hoc Athenaeo judicium exiget Patria.

Agite igitur, nobilissimi juvenes, qua singulari, per integrum mei magistratus biennium, vos omnes hic versati fuistis modestia, tanta ea, ut nullae ad me delatae sint querelae hac igitur porro conspicui estote! Nec minus omnium singularem in praeceptores observantiam, multorum indefessam industriam, quorundam eximias laudes, praedicare mihi licet. Quapropter ut vestrum alios ad praestantissimorum commilitonum imitationem excitatos velim, alios vero ut, qua incedunt, pergant via; ita vos omnes ut, quo, instantibus hisce aestivis feriis, a Theologiae Professore, incensi estis, pulcri, decori, honesti, et vero inprimis pietatis, religionis, Divini Numinis amore, ad vitam contendatis bene beateque vivendam, enixe precor!

Omnis, quo hoc Athenaeum publice instructum est, studiorum apparatus, Bibliotheca, Musaeum physicum, Hortus botanicus, Laboratorium chemicum, anatomicum, in eadem fere, qua ante hoc biennium, conditione versantur; ita tamen, ut physicorum inprimis instrumentorum elegantissimae illi, et a Te, conjunctissime collega, doctissime ENSCHEDÉ, summa cura cultae, collectioni quaedam, non illa spernenda; Bibliothecae vero haud pauca acces-

Digitized by Google

serint. Quod ut vestro inprimis, spem nostram haud raro superanti, studio, illustrissimi Curatores, acceptum grati ferimus, ita facere equidem nequeo, quin generosissimos Frisios, quorum opibus par est literarum et verae eruditionis amor, excitem, ut, majorum quoque qui hanc Academiam studiorum subsidiis, et praecipue libris iisdemque nonnumquam pretiosissimis, ornare consueverant, exempla renitentur. Quod quidem eo magis hic urgendum puto, quod, quae proximo anno Academiis concessa fuit ex legitimis alumnorum subsidiis, opes suas augendi facultas, ea nos prorsus caremus.

Quanti autem intersit publici instituti, ut privati non vota modo pro eo faciant, et benevolentiam significent, sed rerum inprimis testimoniis illud juvent, ornent, augeant, et antea saepius apparuit, et nunc viri, quem honoris causa nomino, doctisimi et expertissimi BRUINSMA egregio exemplo constat. Hic enim quantopere botanices, quam in deliciis habet studium, in hujus quoque Athenaei emolumentum converterit, indicat herbarium, quod collectum olim a praestantissimo BEUKER ANDREAE, et ab hujus heredibus Athenaeo donatum, egregie disposuit atque descripserit.

Nec minus laudanda viri amplissimi, superiore anno suis, Alcmariae, Patriae, luctuosa morte erepti, nobilissimi FONTEIN VERSCHUIR munificentia. Hic enim auctore et suasore fratre ex affinitate, viro in ipsa senectute, elegantissimo DE KETH, cui pro hac erga nos benevolentia, si, quominus his solennibus interesset, non fuisset prohibitus, gratias ageremus quam maximas; hic igitur eximii patris, Theologi et Philologi germani, VERSCHURII, hujus olim Academiae ornamenti, effigiem nostro Athenaeo donavit. Et merito quidem. Quis enim locus aptior, quis tanto viro dignior, magisve cum hanc imaginem ornaturus erit, tum ea ornari poterit, quam hic ipse ubi plurimos annos gravissimis de Academiae salute deliberationibus interfuit clarissimus vir!

Hic autem locus celeberrimorum virorum imaginibus spectabilis, ut nitidiore aliquando splendeat forma, idque, si fieri possit, te Rectore, aptissimo harum rerum aestumatore et moderatore, clarissime ENS, ex animo opto.

Ex amplissimorum enim Curatorum decreto, in sequens biennium hujus Athenaei magnificus Rector dictus est vir clarissimus, doctissimus, expertissimus, SICCO ENS, Medicinae, Chirurgiae et Anatomices professor, quem, ut huc accedat, quam humanissime rogo.

Digitized by Google

Te igitur, clarissime vir, ex amplissimorum Curatorum auctoritate, Rectorem Magnificum dico, proclamo, renuncio. Salve tertium Rector Magnifice! Dignitatis insignia faustis accipe auguriis, laetioribus autem ut Tuo tradas successori, et praeterea ut Tu brevi festum illum, quo per triginta annos docueris diem laetus gratusque transigas, faxit Deus Optimus Maximus!

DIXI.

Digitized by Google

ANNOTATIO.

(1) Tam constans per totam Europam fuit MEYERI fama, ut in suorum numerum hunc deinceps adscripserit nobilissima quaeque eruditorum apud exteros societas; — in Francia non tantum et Germania, verum in Anglia etiam et Italia; — atque, paulo ante ipsius obitum, equestris ordinis insignibus eum ornaverit Francorum rex.

Quanti vero eundem fecerit praeclarissimus quisque apud exteros Ictus, luculentissimo duorum principum Ictorum testimonio confirmare juvat.

MERLIN enim (*Répert.*, *T. X. v. effet rétroactif Sect. III.* § 2. *art.* 7) MEYERUM dicit: « un « célèbre jurisconsulte d'Amsterdam, le savant et le profond auteur de l'Esprit des Institutions « Judiciaires etc. » — MITTERMAIER vero in Badensium Ordinum consessu diei 3 Junii 1831 (*Ausserordentliche Beilage zur Allg. Zeit.*, *n°.* 244 *und* 245, 1831, 5 *Julius*) ita de eodem locutus fuit: « Erinnert man sich jener leuchtender Geister, die der jüdischen Religion « angehörten, eines SPINOZA und MENDELSSOHN, — beruft man sich darauf, wie noch jetzt « einer der grössten, liberalsten, weisesten, und ausgezeichnetsten Rechtshistoriker und « praktischen Juristen in Holland, ein Mann, über den Europa geurtheilt hat, MAYER, so « hoch glänzt. »

Mortuum autem in academia artium doctrinarumque Bruxellensi, cujus socius fuerat, laudavit DE REIFFENBERG.

Nec minus in patria defunctum dignis laudibus ornarunt populares. Paulo post ejus obitum, in *Alg. Konst- en Letterbode voor* 1834, *n°.* 54, *bl.* 387—389, eum celebravit Cons. L. (LEVYSSOHN); — deque eodem, cum aliis celeberrimis causarum patronis Amstelodamensibus comparato, in *Alg. Konst- en Letterbode voor* 1835, *n°.* 2, *bl.* 19—24 en *n°.* 3, *bl.* 35—41, disputavit Ampl. S. (VAN DER SCHAAF). Porro de eo egerunt P. SIMONS *notice sur la vie et les écrits de Mr.* J. D. MEYER, *la Haye* 1835, 22 *pag.*; — et anonymi in *Levensschets van Mr* J. D. MEYER, in *Jaarboeken voor de Israëliten in Nederland* 1835, *n°.* 2, *bl.* 19—46, et in *Aanhangsel op het Alg. Woordenb. v. Kunsten en Wetenschappen van* G. NIEUWENHUIS *i. v. Deel L—O*, bl. 333—336. Ejusdem merita paucis exposuerunt J. DE VRIES, in *Verslag van de Openbare Vergadering der*

Digitized by Google

2e *Kl. van het K. N. Instituut*, *gehouden in* 1835, *bl.* 8, Cl. MULLER, in *Proces Verbaal van de* 28e *Algem. Vergader. van het Kon. Ned. Instituut*, 1835, *bl.* 15—18, et Cl. SIEGENBEEK, in *Handelingen der Jaarlijksche Verg. van de Maatschappij der Ned. Letterk. te Leiden*, 1835, *bl.* 16—18. Perquam autem dolendum, Cl. editores operis *Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving*, ibidem 1834, *n°.* 3, *bl.* 540 nunciata tristi MEYERI morte, amplioris de praeclaro, ipsorum quoque suffragiis, Icto laudationis spem quidem dedisse, neque tamen justissimae exspectationi deinde satisfecisse.

(2) *Nomotheticam* sive *legum ferendarum disciplinam* (quo enim meliore nomine novam hanc appellem disciplinam nescio) ipse MEYERUS (*Alg. Konst- en Letterbode* 1818, *n°.* 32, *bl.* 18 *volgg.*) dixit *Wetenschap der Wetgeving*; — saepius *la science de la législation* (*Inst. Jud. T. I. Introd. p.* 5 *et* 63 et *Codif. p.* 26, 28, 121, 123); — nonnumquam *la science transcendante du droit*, *la jurisprudence supérieure* (*Codif. p.* 26). Quibus nominibus arctissimam illam nomotheticam inter et jurisprudentiam necessitudinem eleganter significavit. Hinc eum qui utramque profitetur uno *Icti* (*Jurisconsulte*) nomine complexus est interdum (*ib. p.* 3 *et* 11). Quo tamen vulgari plerumque significatione usum se fuisse, monuit (*ib. p.* 3, *n°.* 1). Hinc quoque *le jurisconsulte* et *celui qui étudie la science de la législation* (*ib. p.* 123) haud secus opposuit, quam *la science du droit* sive *la jurisprudence* et *la science de la législation* (*ib. p.* 28 *et p.* 121).

(3) Cf. MEYER, *Codif. p.* 3 et passim.

(4) Cf. *Boekzaal van* 1791, *Sept.*, *bl.* 120, ubi undecim nondum annorum puer MEYERUS celebratur, ut ingenii praecocis et docilitatis paene singularis exemplum. Nondum enim tertium impleverat aetatis annum, quin quaevis vernaculo sermone scripta legeret. Tanto autem tenera illa aetate flagravit discendi ardore, ut tum jam non prius quieverit, quam a patre impetrasset, ut Francici Anglicique sermonis praeceptorem nancisceretur. Hic autem unis quotidianis confabulationibus utramque linguam, intra biennium fere, ludentem docuit infantem. Qui quidem sextum vix attigit annum, quin, ut Latini sermonis rudimenta ab eodem acciperet, obtinuerit. In quibus quoque literis adeo brevi profecit, ut, septimo vix impleto aetatis anno, dignus habitus fuerit, qui in profectiorum Gymnasii discipulorum numerum referretur. Post quadriennium vero in Latinis non tantum Graecisque literis miros progressus fecerat puer, sed Hebraicis etiam et recentioribus, in his Germanicis quoque, historiae, geographiae, studiis mathematicis, logicae, arti oratoriae operam magno cum fructu navaverat.

(5) Inprimis sub finem anni 1813. Quo periculoso nostratibus tempore Amstelodami adscitus fuit in numerum eorum, qui interim praeëssent huic civitati, quam reliquerant quidem Franci, sed cui tamen imminebant eorundem copiae: cf. *nota* 66.

Digitized by Google

(6) Exemplo sint, tam de judiciariis Reipublicae Batavae institutis (*Instit. Jud.*, *T. IV* inprimis *p.* 99, *n°.* 1), quam de novissimis patrii juris codicibus (*Codif.* passim), liberiora illa ejus judicia. Cujus de criminum persecutione, quae apud nostrates olim obtenuit, opinionem, licet aequo duriorem, non tamen prorsus injustam fuisse, contendit Ampl. J. DE BOSCH KEMPER, *Wetb. v. Strafr. naar desz. begins. ontw. en in verb. gebr. met de alg. regtsgel.*, *Amst.* 1838, *I D.*, *bl.* 2.

(7) Cf. e. g. quae de *Medio Aevo* observat *Inst. Jud. préf. p.* 61 *sv.*

(8) Quod nemo in MEYERO mirabitur, qui ab iis etiam, quorum ceteroquin ingenium eruditionem aut industriam summopere laudat (GROTIO, BYNKERSHOEKIO, MONTESQUIEVIO, KLUITIO, BENTHAMO, SAVIGNIO, FEUERBACHIO, EICHHORNIO, aliis), saepius dissentire, quin et interdum reprehendere eosdem, non dubitavit.

(9) Quod quidem gloriae studium adeo non dissimulavit, ut in posthuma illa de GULIELMO I disputatione scripserit: « Ik zoude hem geen groot man noemen, ik zoude hem althans in « de geschiedenis geene eereplaats vergunnen, zoo ik hem geene groote eerzucht toeschreef. » (*bl.* 58, cf. *bl.* 75).

(10) Natus ibi fuit die 15 Sept. a^i 1780.

(11) In quibus fuit Doct. AHASUERUS VAN DEN BERG.

(12) Cf. J. M. KEMPER, *Lijkrede op Mr.* H. C. CRAS, ejusdemque CRASSI *elogium*, in Instituti Regii classis tertiae conventu d. 3 Nov. 1823 habitum.

(13) Sunt fere verba Cl KEMPERI in laudato elogio.

(14, 15, 16) De his altera orationis parte latius diximus.

(17) In iis, quos inter et MEYERUM eruditum obtinuit epistolarum commercium, fuerunt: — ex nostratibus Cl. TYDEMAN; — ex Belgis DE KEVERBERG et DOTRENGE; — ex Francis MERLIN et PARDESSUS; — ex Anglis MAC INTOSCH, HOLLAND, RUSSELL, CATHCART, COOPER, HUME; — ex Germanis VON SAVIGNY, VON REHBERG, GANS.

(18) Quanta in Icto requisiverit significavit *oratione de eloquentia fori*, *p.* 8.

(19) Linguarum cognitionem quanti a puero fecerit, sequitur tam ex supra (n°. 4) relatis, quam ex argumento oratiunculae, quam relicti Arnhemiensis Gymnasii opportunitate habuit

Digitized by Google

de : *Scientiarum omnium scatebra ac fonte linguarum cognitione* (v. *Boekz. l. l.*). Praeter commemoratas linguas Italicam quoque et Hispanicam attigisse videtur. In patrii vero inprimis sermonis ingenium et historiam interius penetravit, aditis etiam linguis, quae Medio Aevo in septentrionali Europae parte florerunt. Hinc quas in Instituti Regii 2ª classe praelegit, commentationes (cf. nº. 22) ad hoc studiorum genus pertinent pleraeque. Cum aliis quoque ejusdem Instituti sociis paravit *glossarium* HOOFTIANUM (*glossarium van verouderde woorden in* HOOFT *voorkomende*): ad illum finem elaborato HUGONIS GROTII *Inleiding tot de Hollandsche Reqtsgeleerdheid* (v. 2ᵉ *Verslag van de* 2ᵉ *Kl. van het K. N. Inst.*, *bl.* 13).

(20) Francico sermone quare uti consueverit, saepius significavit (*Ess. s. l. quest. l'appréc. mor. etc. préf. p.* 14, *Codif. p.* 3 et *Alg. Konst- en Letterb.* 1818, *n*°. 32). De ejus Francice scribendi facultate iniquius judicare videtur WARNKÖNIG (*Kr. Zeits. f. Rechtsw. u Gesetzg. d. Ausl. III B.*, *S.* 235); — aequius MILLELOT (*Them. T. IV. p.* 99) et VON GLOBIG (*Cens. Rei Jud. Europ. p.* 76).

(21) Cf *Inst. Jud. T. I. Introd. p.* 58 *et ch.* 1 *p.* 13 — 15, *Mém. s. l'us. d. l. lang. Flam. et Wall.*, *p.* 439 *suiv. et. p.* 443, et *Verh. ov. d. ben. d. maanden i. h. Nederd.*

(22) In commentatione *ov. d. ben. d. maanden enz.* Duae aliae, affines (*ov. h. gebr. en misbr. v. bastaardw. i. d. Nederd. taal*, et *ov. h. voor- en nadeel v. woord. die de daardoor uit te drukken denkb. i. h. vorm. aanwijzen*) non editae summatim expositae sunt in 2ᵉ *Versl. d.* 2ᵉ *Kl. v. h. K. N. Inst.*, *bl.* 20 — 22. Quo loco (*bl.* 26 *en* 28) duae quoque memorantur, ut superiores, in Inst Reg. cl. 2ª ab eo recitatae, nec tamen publici juris factae (*ov. d. nam. v. d. Duitschers, als bij de Rom. en Griek. verkeerdelijk voor eigen namen geh.* en *onderz. omtr. d. oorsp. en de naamsafl. v. h. Alode en h. Salische land*).

(23) Cujus disputationis summam (a qua tamen dissensit BAOUX, *Mém. s. l'anc. démarc. d. Pays Flamands et Wallons aux Pays-Bas in mém. d. l'Ac. R. d. sc. et bell. lett. d. Brux. T. IV. p.* 454 — 458) ita contraxit (*ib. T. III. p.* 491): « En résumant nos observations, nous « croyons pouvoir établir, que l'influence de la langue et de la litérature Française sur celle « de toutes les provinces des Pays-Bas a été très marquée, et suffisante pour faire adopter « dans quelques-unes le langage Wallon, qui est évidemment d'origine Latine et Française, « et dans les autres, pour faire substituer à l'alphabet Allemand les caractères Italiques; que « la différence de langage du pays Wallon et Flamand ne remonte point à l'époque de la « conquête des Gaules par les Romains; que la transplantation des Saxons par Charlemagne « ne motive point cette diversité; et qu'il n'y a aucun fait historique, qui puisse expliquer « ce phénomène bizarre, que probablement le hasard seul a fait naître. »

(24) Quaenam de forensi eloquentia, de ejus apud nostrates praesertim conditione, fuerit

Digitized by Google

ipsius sententia, quaenam praetera in diserto causarum patrono praecipue requisiverit, exposuit elegantissima illa de hoc argumento oratione. — Orationes forenses (unam autem excepit quam pro LUDOVICO habuit) non quidem integras scribere consuevit. Neque tamen prius quam diligenti praeparatus meditatione, eorumque quae dicenda viderentur lineamentis scripto plerumque consignatis, in forum procedere solebat. Quod, ut in alliis celeberrimis causarum patronis, ita in hoc quoque laudavit Ampl. M. C. VAN HALL (*Regtsg. Verh.*, *bl.* 404 *volg.*). Quantopere tamen ipsius, quam pronunciaret, orationis ubertas, ardor, eloquentia ab ista exili umbra distarent nemo non videt. Quoties vero non nisi prorsus ex improviso dicendi esset copia, tanta in eo fuit extemporalis facultas, quanta in optimo quoque. Hinc replicandi, ut ajunt, solertia omnes in Amstelodamensi foro aequales facile superavit. Idem qua valeret perorandi facultate, in LUDOVICI NAPOLEONTIS causa probavit. Ex qua quidem consuetudine repetendum fortasse, in nullo non ejus opere, quin et in praecipuarum partium fine, summariam reperiri argumentorum repetitionem.

(25) De nobilissima hac lite conferantur MEYERI Harlemi per triduum habita oratio (*pleitrede voor eisch*), quam non quidem ut publici juris eam faceret, sed ut paucis eam legendam daret, typis describendam curavit; — et duplex oratio, qua MEYERO respondit quamque edidit Ampl. M. W. DE JONGE, Hagae comitum causarum patronus tunc celeberrimus, de me autem eximie meritus (*Pleitredenen in de zaak van den Officier van Justitie enz. als Procureur des Konings*, *tegen* LODEWIJK BONAPARTE *enz. eischer*, *uitgesproken enz. door Mr.* W. DE JONGE, *'s Gravenhage* 1820). Ex cujus posteriore oratione (*pleitrede voor dupliek*) quaenam praecipue priori ejus orationi (*pleitrede voor antwoord*) responderit MEYERUS (*pleitrede voor repliek*), aliquatenus conjici licet.

LUDOVICUM autem, post varios inter hujus mandatarium et Regios Ministros sed frustra habitos congressus, ad ordinarium judicem rescripto remiserat Rex. Quo facto LUDOVICI causae patrocinium, prae summis quibus huic obstrictus erat beneficiis, recusare se non posse existimavit MEYERUS. Cujus quanto difficiliores quam adversarii fuerint partes, ut ex ipsius causae natura sequitur, ita collatis utriusque orationibus manifesto apparet.

Eo enim rediit pro reo proposita defensio, rem vindicatam privatim non possidere Regem. Ejusdem vero dominium neque umquam impetrasse neque servasse LUDOVICUM, obiter tantum defendit DE JONGE (cf. hic *p.* 25 et passim, *p.* 27 *sqq.* et 122 *sqq*).

A MEYERO vero, — (praeterquam quod variae attingendae erant rerum publicarum conversiones multaque alia explananda, quorum in illustrandam hanc controversiam non levis posset esse vis; nec minus ab eo tuenda quaecumque in hac non vulgari lite jam erant facta; repellenda denique actioni opposita *exceptio*) — pro institutae *rei vindicationis* natura, tria erant probanda: — *privatim* villae vindicatae dominium obtinuisse LUDOVICUM; — numquam hoc jure excidisse eundem; — *privatim* quoque eandem jam possidere Regem (cf. hic. *l. l. p.* 52 *et* 165). Multa praeterea quibus *rei vindicationem* defenderet impetrare non

Digitized by Google

potuit instrumenta. Unde ad artificiosa nonnumquam, licet ingeniosissime (fatente ipso DE JONGE, *l. l. p.* 26 *sq.*) inventa, argumenta confugit. Quo pertinent quae in secunda, typis non expressa, oratione (*pleitrede voor repliek*), ex aedium litigiosarum culmini inscripta litera W conjecit (cf. DE JONGE, *l. l. p.* 140).

Ceterum hic fuit hujus controversiae exitus, ut, rejecta licet actioni opposita *exceptione*, adjudicata tamen non fuerit *actio:* idque propterea quod judicibus non constitit, a reo possideri vindicatam villam; — quamquam idcirco non quidem *exceptione* verum *ordinaria defensione* repellendum a reo fuisse actorem, judicarunt (v. haec sententia apud DE JONGE, *l. l. p.* 158 *sqq.*).

(26) Cf. *Inst. Jud. Introd. p.* 3 *suiv.*, *Verh. ov. d. herzien. d. voorr. door d. Hoog. Raad*, *bl.* 55 *volg.*, et *Verh. ov. d. verantw. d. Graf. beden*, *bl.* 5 *volg. en* 18.

(27) Ut studiis suis historicis plurimum prodesset, omnium maxime historiam Medii Aevi et recentiorem sibi colendam sumsit. Nam quemadmodum perversum nonnullorum, antiquam potissimum historiam tractandi, et ex remotioribus temporibus publici juris principia repetendi, morem lepidissime exagitavit; — ita rerum Medio Aevo gestarum vim tam in universam Europam quam in patriam maximam esse, eleganter probavit erudito illo exordio commentationis de Comitum Hollandiae precariis (*Verh. ov. d. Graf. bed. bl.* 6 — 17).

(28) Anglicorum judicialium institutorum cum historiam tum hodiernam conditionem quam accurate investigaverit quamque recte noverit, probant *Inst. Jud. T. II. L. III* et *Codif.* 4e *lettre p.* 210 — 281.

(29) *Inst. Jud. T. IV. L. V.* Qua quidem praeclari operis parte ut de patriae historia eximie meritum MEYERUM praedicavit Cl. SIEGENBEEK, *l. l. na* 1 *p.* 18, idem tamen an de Batavae reipublicae praefectis satis quidem aequum fuerit ejus judicium, dubitasse videtur. — Eandem vero singularibus laudibus extulit Ill. G. K. VAN HOGENDORP (*Bijdr. t. d. huish. v. Staat*, *VI D. bl.* 10 — 12). Hic enim inter alia: » De geleerdheid van den schrijver is uitgebreid, « maar zijn geest zweeft over al de bouwstoffen, die hij bijeen haalt, en ordent alle dezelve « tot een geheel. Het is zeker een werk van genie. Den oorsprong en de wording van de « Republiek, hare voornaamste inwendige lotgevallen, beschouwt men hier uit een nieuw » oogpunt, waarvan de eenvoudigheid en de eenheid verwondering baren. »

(30) Amstelodami in Instituti Regii secunda classe praelectis. Quas maximi quoque facit Cl. SIEGENBEEK, l. l.

(31) Edita ab Instituti Regii classe secunda; quae hinc nacta fuit opportunitatem literario certamini proponendi quaestionem de politicis OLDENBARNEVELDII principiis, ad quam tamen

Digitized by Google

respondit nemo. De hujus supplicio quid judicaverit MEYERUS, constat ex *Inst. Jud. T. IV.* p. 136 *n°. et p.* 211.

(32) Quam de GULIELMO I opinionem, hic de industria expositam, attigerat jam *Inst. Jud. T. IV. p.* 127, 138, 146, 147, 208 et *Verh. ov. d. verantw. der Graf. bed. bl.* 57 *en* 77.

(33) Hollandiae Comitatum ab Ordinibus GULIELMO delatum ab eoque acceptum fuisse, et solummodo defuisse inaugurandi solennia, ex ipsis fontibus probare studuit Cl. KLUIT, *Hist. der Holl. Staatsreg.*, *I. D.* 11 *hoofdst.*, *bl.* 281 — 364. Hunc secuti sunt D. VAN HOGENDORP in *disp. de* GULIELMI I *juribus in summum imperium in Comitatu Hollandiae*, *L. B.* 1822 et BILDERDIJK, *Gesch. des Vaderl. VII D. bl.* 70 *volgg.* Qui tamen in iis quae ante inaugurandi solennia, ad exsequendum unanimo consensu probatum et a Principe acceptum decretum, novissimo loco essent facienda, moras et difficultates quaesivisse duas Hollandiae civitates, — idemque a Zelandia etiam agitatum quidem, necdum tamen ab hujus regionis proceribus eatenus confirmatum fuisse consilium, non negarunt. Haec autem omnia sive cum his ita interpretanda sunt, ut Hollandiae Comes creatus jam fuerit GULIELMUS; sive cum aliis (quos sequi videtur Cl. SIEGENBEEK, *Schets eener Geschied. v. d. Oud-Nederl. Staat*, 1839, *bl.* 120), ut in eo esset ut Comes diceretur: — illud certe negari nequit, et inita de his fuisse consilia, et, si diutius vixisset, Hollandiae Zelandiaeque, fortasse et Ultrajectini tractus, principatum adepturum fuisse GULIELMUM. Eum Hollandiae Zelandiaeque Comitatum affectasse, affirmarunt quoque HEEREN, *Handb. der Gesch. des Europ. Staatensyst.*, § 15, S. 108, 5ᵉ *Ausg.* et W. BROES, *Willem I in betr. tot de scheur. der* 17 *Ver. Nederl. gew.*, *Amst.* 1831, *bl.* 14 *en* 16. Ulterius vero progressus est MEYERUS, cunctas, quae Ultrajectino foedere junctae jam erant, regiones sub sua ditione arctius paulatim conjungendi consilio eidem tributo. Quod cum in GULIELMO ferendum non modo verum laudandum etiam duxerit, longe absit, ut ad iniquissimam istam accesserit de eodem opinionem, quam protulit LEO (in *Zwölf Bücher Niederländischer Geschichten*, *Halle* 1832 — 1835); jure notatam a Doct. G. GROEN VAN PRINSTERER, *Arch. de la mais. d'Orange-Nassau. T. III. préf.*, *p.* 65.

(34) V. l. l. nᵉ 9 et cf. BROES, *l. l. p.* 45 *sqq.*

(35) Ut nullam imperii formam per se, sed ex unius cujusque civitatis conditione, recte posse aestimari, defendit: ita tamen absolutam non minus monarchiam quam democratiam improbavit; — hanc vero ne adesse quidem posse, statuit (*Inst. Jud.* passim, inprimis *T. III. L. IV. ch.* 19., *T. VI. L. VIII. ch.* 2; et *Verh. ov. d. verantw. d. Graf. beden*, *bl.* 3 — 5). Quantopere autem aristocraticum, multo magis oligarchicum imperium ipsi displicuerit, adeo non dissimulavit, ut oligarchicam, quae olim apud nostrates, in Hollandia praesertim, obtinuit imperii formam, praecipue vero istud, non totius communis patriae, sed una singulorum oppidorum commoda curandi studium graviter vituperaverit (*Inst. Jud.*

Digitized by Google

T. IV. L. V. passim; inpr. *p.* 255 *et* 257 et *T. V. L. VI. p.* 81 *n°.* 1). Monarchiam vero, — non illam arctis exiguae (ut olim in Germania) regionis finibus circumscriptam, sed majoris civitatis amplitudine liberalius compositam, — eandemque ita temperatam, ut non paucis sed integro populo haud levem imperii partem concedat princeps (*monarchie constitutionnelle*), — ut optimam imperii formam et passim laudat (*Inst. Jud. T. IV. p.* 394, *T. V. p.* 379 *et* 395, *T. VI. ch.* 1 *et* 2 *passim*, *p.* 342 *n°.* 1 *et p.* 591), et Angliae praesertim exemplo commendat (*ib. T. II. passim et T. III. p.* 8 *et* 315).

(36) Ut probavit priore parte commentationis de *usura*.

(37) *De la Codification*. Cff. quae in orationis fine dicemus.

(38) Cf. *Codif. préf.* 12 *et ib. p.* 13, 16 *et* 124, *Inst. Jud. T. I. Introd. p.* 57 *et p.* 16 *n°.* 1, 83, 94, 400, *T. V. p.* 102 *n°.* 1 *et* 167 *suiv. n°.* 1, et *Bedenk. ov. poorterijen enz.*, *bl.* 160.

(39) Cf. *Inst. Jud. T. I. Introd. p.* 20 *et* 41 et *Codif. p.* 3 *n°.* 1.

(40) Cf. *Inst. Jud. T. VI. p.* 539 *suiv.* et *Codif. p.* 3 *n°.* 1.

(41) Cf. *Appréc. Mor. des délits p.* 84.

(42) Juris *Romani* studium quantopere in quotidianum quoque fori usum convertere amaverit, conspicuo perspicitur pro LUDOVICO NAPOLEONTE habitae orationis exemplo. Hic enim *rei vindicationis* naturam multaque ilia hinc praecipue illustravit. In his *l.* 44 *ff. de acq. rer. dom.* specie eleganter usus, qua probaret, quae ab Imperatore NAPOLEONTE injuste essent occupata, victo eodem, non ad victorem sed ad verum dominum, ex cujus dominio numquam exiissent, redire ea oportere. — Idem illud studium ut in nullo non ejus opere apparet, ita inprimis in missa ad Berolinensem Academiam commentatione, in opusculo de jure transitorio, iu epistolis (*Regtsg. Briefw.*), in disputationibus (tam de regula *quisque praesumitur bonus donec probetur contrarium*, quam aliis), in ultimo praesertim libro (*de la codification*).

Hinc singularibus hujus juris laudibus abundant ejus scripta (*Appr. Mor. p.* 90, *Quest. Trans. p.* 6, 10, 48 *et* 53, *R. Briefw. bl.* 173, 221, 227, 237, 409, 410, 419, *Codif. p.* 44, 61 *et* 195, *Verh. ov. den regel dat iedereen voor eerlijk wordt gehouden enz.*, *bl.* 235 *en* 267).

Vel sic tamen ejus vitia eum non fugerunt (*R. Briefw. bl.* 207 *n°.* 2, 237 *et* 419). Nimiam inprimis subtilitatem in eo notavit (*diss. sur l'intérêt p.* 15 *suiv.* et *Inst. Jud. T. V. p.* 242 *suiv.*). Quin recentioris mercaturae juris, ejus praesertim quod cum novis, Romanis plane ignotis, institutis cohaeret, ex Romano jure temere interpretandi studium pro inani opera habuit (*Bijdrage tot de Regtsgel.*, 1834, *n°.* 2, *bl.* 79 *n°.* 1). Assecurationis tamen

Digitized by Google

contractum, veteribus quamvis incognitum, ex ejusdem juris principiis illustare conatus est in *R. Briefw. bl.* 410.

(43) *Codif. p.* 122.

(44) Cf. *Quest. Trans. p.* 54 et *R. Briefw. bl.* 473 *n.* 2.

(45) Cf. *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1834, *n°.* 1, *bl.* 73 *n°* 1.

(46) Cf. *ib. p.* 75 *n°* 1 et *Inst. Jud. T. V. p.* 513 *n°* 1.

(47) Cf. *Codif. p.* 63—142, ubi quaedam tamen minus forte accurate esse posita, non negamus.

(48) Cf. MEIJER, *over de gevolgen der gecontinueerde gemeenschap tusschen den langstlevenden der echtgenooten en de erfgenamen van den eerstgestorvenen, naar Oud-Hollandsch en Costumier regt* (*Bijdrag. tot Regtsgel.*, 1831—1832, *n°.* 1 *bl.* 58—114). Qua cum disputatione conferenda alia de eodem argumento, ad refutandum MEIJERUM conscripta a Cons. J. SMITS VERBURG (*ib.* 1833, *n°.* 2 *bl.* 209—257).

In pristino illo Hollandico jure plura reprehendenda ei videbantur (*Inst. Jud. IV. L. V.* et *R. Briefw. passim.* Imo vero ne fieri quidem posse credidit, ut inter nostrates, melioribus juribus adsuetos, instauraretur illud jus (*Bijdr. tot Regtsgel.*, 1831—1832, *n°.* 1 *bl.* 59). Quae autem in aliis patriae regionibus antiquitus obtinuerunt jura, haec ipsa minime neglexit. Probant hoc eorum, quae extra Hollandiam apud nostrates olim juris fuerunt, in laudata disputatione ab eo instituta collatio (*bl.* 82, 84, 91, 95, 101, 112); — ejusdemque disquisitio de eo jure, quod servitutis speciem in patria olim retulit (*hoorigheid*), in *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1826, *n°.* 4 *bl.* 441 *volgg.*

(49) Cf. *R. Briefw. passim.* Sic in LUDOVICI Regis *Poenali* codice multa quidem laudavit (*bl.* 5, 247 *volgg.*, 266 *volgg.*), alia vero vituperavit (*bl.* 257 *volgg.* 267). *Civilem* quamquam universe parvi fecit (*bl.* 6); si qua tamen ejus lex probanda videretur, significavit (*bl.* 111). *Mercatorii* anno 1809 facti periculi locum de *maritimo jure* praedicavit (*bl.* 403); alia reprehendit (*bl.* 404 *en* 407).

(50) Francicum, nostratibus quamvis anno 1811 obtrusum, jus universe magni fecit; — idque tam ob singularem plurium capitum praestantiam, quam ob miram formae concinnitatem et elegantiam (*Quest. Trans.* 1 6 *suiv.*, *R. Briefw. bl.* 8 *en* 241 *volgg.*, *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1834, *n°.* 1 *bl.* 42 *en* 77, *Inst. Jud. T. V. L. VII. et T. VI. L. IX.*, et *Codif. passim*). Nullum quoque ab injustis, ipso judice, reprehensionibus ejusdem vindicandi

Digitized by Google

occasionem umquam praetermisit; — eo praesertim tempore, quo non levis eum tenuit metus, ne quaecumque a Francis accepta repudiarent novarum legum apud nostrates latores (*R. Briefw. passim*, *Haute Cour. prov. p.* 9, *disp. de juris regula quisque praesum. bonus p.* 266 *sq.*, *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1834, *n°.* 1 *bl.* 42, 69 *volgg.*, 71 *volgg.*).

Neque tamen eo hujus juris ductus fuit amore, ut minus commendanda aut vitanda vel non animadverteret vel notare negligeret (*Haute Cour. prov. p.* 9, *disp. l. p.* 267, *Codif. p.* 157).

Primum enim in aestimandis Francicarum legum Codicibus tam diligenter distinxit, ut alios laudibus ornaret, in aliis ceteroquin commendandis minus justa improbaret, alios universe reprehenderet (*R. Briefw. bl.* 241 *volgg. en* 360, *Inst. Jud. T. VI. p.* 477). Pariter ineptam interdum in praescribenda negotiorum forma eorundem sollicitudinem saepius notavit (*R. Briefw. bl.* 181 *en* 183). Multa praeterea capita nominatim vituperavit.

In *Civili* quidem Codice (juvat enim quaedam afferre exempla) vitia ex inani diversi, quod olim in Francia obtinuit, juris principiorum conciliandorum studio repetenda (*Codif. p.* 196); locum de subrogatis tutoribus (*R. Briefw. bl.* 109 *volgg.*); deque hypothecis (*ald. bl.* 245, *Bijdr. tot Regtsgel. bl.* 79 *n°* 2). — In Codice de *forma procedendi in civilibus*, praeter multa alia, ante institutam actionem tentandae conciliationis praeceptum (*Inst. Jud. T. VI. p.* 565). — In Codice de *causis mercatoriis* peculiaria de ipsis constituta judicia (*ib. p.* 484 *suiv.*); et necessarium interdum arbitrorum usum (*ib. p.* 565 *n°*). — In Codice de *instruendis causis criminalibus* nimis arbitrariam judicis inquisitoris (*juge d'instruction*) potestatem (*ib. T. V. p.* 483 *suivv.*); juratorum judicum institutum non satis illud liberale (*ib. T. V.* p. 454 *suivv.*, 469 *suiv.*, 491 *suivv.*, *T. VI. p.* 381 *n°* 1, 416 *n°* 2, 419 *n°* 1, 426 *n°* 1 *et ch.* 22 — 25 *passim*); et judicia extraordinaria (*Cours spéciales*, *Inst. Jud. T. V. p.* 488 *suivv.*) — In Codice *Poenali* delictorum discrimen a poenarum diversitate repetitum (*Crimes et délits*, *Inst. Jud. T. V. p.* 446 *suivv.*, *VI*[e] *p.* 472 *suivv.*, *R. Briefw. bl.* 271); multorumque delictorum severiorem quam par est coercitionem, veluti stigmatis poenam in quodvis falsi crimen statutam (*R. Briefw. bl.* 269), ultimum supplicium in quodcumque infanticidium (*Inst. Jud. V. VI. p.* 468 *et* 476).

(51) Juris *mercatorii* quanta in MEIJERO fuerit peritia, apparuit tam cautis illis, quae mercatoribus quotidie dabat, consiliis et responsis, atque multiplicibus in hoc genere, nobilioribus quoque, ab eodem prudenter dictis causis; quam elegantioribus hinc depromtis editisque ejusdem disputationibus (*R. Briefw. passim*, inprimis *p.* 6 *et* 7, *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1834, *n°.* 1 *bl.* 42 — 101).

(52) Quanta experiundi in jure fuerit solertia, vel ex una constat pro LUDOVICO NAPOLEONTE dicta causa.

(53) Quod exteri juris singulare ejus studium, ne Francici juris, MEIJERO florente nostratibus prope domestici, exemplo confirmemus, in Anglico praecipue apparuit.

Digitized by Google

(54) *Usum* isum in Icto quantopere requisiverit, significavit *Inst. Jud. T. V. p.* 209, 239 *suiv.*, *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1831, *n°.* 1 *bl.* 58. Juris vero rationem et usum quam diligenter perpetuo conjunxerit, ut integra vita probavit, ita testatus est *Haute Cour. prov. préf. p.* 1. Quot autem sint quae usu demum intelligantur juris loca, eleganter expressit *Inst. Jud. l. l.* et *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1831, *n°.* 1 *bl.* 58 *volgg.*, 1834, *n°.* 1 *bl.* 74. Hinc facile perspicitur, quare pro inepto habuerit multorum Germaniae judicum, litis instrumenta ad juris professores mittendi ab iisdemque sententiam petendi institutum (*Inst. Jud. T. V. p.* 24 *suivv.*, 238 *suivv.*, 260 *suivv.*, 267 *suivv.*, 352 *suiv.*).

Ceterum animadvertendum, MEIJERUM, etsi maximum in Icto *usum* requirentem, neque *fori disputationem* (*la jurisprudence des arrêts*) contemnentem, haud tamen umquam plura quam oporteret *forensi usui* tribuisse. Hunc enim hodieque legi minime aequiparari sed sola lege niti posse, nec umquam obligandi vim habere; — quin ab eo, qui aliorum opinionibus facile careat, posse praetermitti (*Quest. Trans. p.* 52, *Codif. p.* 180 *suiv.*, *R. Briefw. bl.* 166 *en* 171, *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1834, *n°.* 1 *bl.* 47). Palmarium ejus praeceptum (*Codif. p.* 181 *n°.* 1) adscribere juvat: « J'ai toujours suivi avec succès une méthode, que je puis recom-
« mander à tous les jurisconsultes praticiens, surtout aux commençans: c'est de ne baser
« mon opinion première que sur la loi seule, et de ne consulter les commentateurs et les arrêtistes
« qu'après avoir formé une opinion, sauf à la rectifier, si des raisonnemens plus plausibles et
« des allégations de la loi plus décisives se présentent dans les commentaires ou les arrêts. »

(55) Cf. MEIJERUS, *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1834, *n°.* 1 *bl.* 43.

(56) Jam ineunte 1800 cum amico CAROLO ASSER, pro MARCELLO quodam, Dordraci blasphemiae damnato, scripto editoque libello supplice, misso ad collegium, quod eo tempore Reipublicae Batavae praeërat; — mox vero in superiori, ad quod provocatum fuit, judicio causa pro reo ita dicta, ut gravissima poena absolutus hic fuerit (cf. *Ampl.* v. D. SCHAAFF *l. l. n*ª 1 *p.* 24 et *vita Ampl.* ASSERI in *Jaarb. v. d. Israël.* 1837, *n°.* 6 *bl.* 373) innotuit juvenis MEIJERUS. Multo tamen magis crevit ejus fama, scriptis editisque, quas ad literarias societates, *Berolinensem* et *Nemausensem*, misit, commentationibus.

(57) *Koninklijke Courant.*

(58) Editas operum indice, non editas partim n° 22 retulimus. His addatur alia, habita in solenni conventu secundae classis Instituti Regii, Amstelodami die 1 Sept. 1830, qua docuit, multa juris patrii apud nos instituta soli conditioni deberi.

(59) Cf. Ampl. v. D. SCHAAFF *l. l. p.* 34, *Jaarb. v. d. Israel. l. l. n*ª 2 *p.* 24.

(60) Mutatis tunc ejusdem diarii et nomine et natura: cf. *Jaarb. v. d. Israel. l. l. p.* 26.

Digitized by Google

(61) Cf. *ib. p.* 27.

(62) *Conseil général du Département:* cf. *ib. p.* 28.

(63) Cf. Ampl. v. d. SCHAAFF *l. l. p.* 35 *sq.*, quaeque hinc petierunt *Jaarb. v. d. Israel. l. l. p.* 29.

(64) Cf. *Inst. Jud. T. V. p.* 483. Ipse autem (*ib. T. VI. p.* 312 n° 2) non dubitavit dicere: « Pendant six ans de fonction (de juge d'instruction) nous nous glorifions de la « plus stricte impartialité. »

(65) Cf. *Quest. Trans. préf. p.* 16.

(66) Cf. Ampl. v. d. SCHAAFF *l. l. p.* 36, et *Jaarb. v. d. Israel. l. l. p.* 30, ubi MEIJERI prudentia et fortitudo merito praedicantur. Quanto autem periculo se exposuerint tum reliqui, qui civitati Amstelodamensi, ut res interim gererent, die 16 Nov. 1813 praefecti sunt (*Stedelijk tusschenbestuur*) gravissimi viri, tum omnium maxime MEIJERUS, ut utroque l. l. significatur, ita ipse professus est in *Pleidooi voor Lodewijk Napoleon bl.* 31.

(67) Cf. *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1831, *n°.* 1 *bl.* 58—114 *vn* 1834, *n°.* 1 *bl.* 42—101. Quas gravissimas quaestiones, non ut in foro eas explicuerat, sed ut postea diligentius elaboraverat, editas esse dixit (*l. l.* 1834 *bl.* 42), et honorificentissimo testimonio confirmarunt Cl. collectionis editores (*ib.* 1831 *bl.* 58 *n°* 1).

(68) LEONIS et ANTHEMII *l.* 14 *C. de advoc. div. Jud.*

(69) Sunt fere ipsa verba disputationis MEIJERI *p.* 1 *et* 2.

(70) In opere: *on the rights of man.*

(71) Ex hoc sedecim vix annorum juvenis opusculo, quam liberali ab ineunte aetate fuerit ingenio, neque eo tamen, ut effrenatam illius tempestatis probaret licentiam, nec minus quanto jam tum historiae studio flagraret, et quantopere in jurisprudentiae emolumentum illud convertere didicerit, abunde constat. Vel sic tamen injustum foret, tanta hic exspectare, quanta in maturioris aetatis opere. Nemo igitur in juvene MEIJERO reprehendet, quod post uberiorem, neque tamen hic ineptam, de *societate* et *civitate* disputationem, ipsum disquisitionis argumentum levius attigerit. Saeculo quoque quaedam sunt tribuenda. Neque enim negaverim, democraticum ejus aetatis ingenium non aliquam in nonnullas, quas tuitus fuit, opiniones vim habuisse videri (cf. e. g. *p.* 61).

Digitized by Google

(72) Praeter MEYERUM ad Berolinensis Societatis quaestionem (*wie weit, wenn anders überhaupt, darf die moralische Schätzung einer Handlung bei der Festsetzung eines Strafgesetzes und bei der Anwendung desselben in Anschlag kommen?*), disputationibus Germanice conscriptis et editis, responderunt tres theologi: J. C. SÜSKIND (*Tüb.* 1803), F. A. BOYSEN (*Berl.* 1804) et J. C. GERHARD (*Berl.* 1804). — Ex quibus SÜSKIND ad ipsam quaestionem negando respondit. BOYSEN affirmando quidem, verum ita ut aliud argumentum tractasse mihi videatur, illud scilicet, quod Germani juris criminalis auctores dicere solent *die subjective Gründe der relativen Strafbarkeit.* Idem de GERHARDO valet, qui in ea inquisivit quae legislatorem et judicem, tam universe quam in constituendis aut applicandis criminalibus legibus facere oporteat, ut, quoad ejus fieri possit, bonis moribus publice consulatur.

Quae autem de MEYERI disputationis argumento diximus, ut cum ipsius conclusione (*p.* 131) conveniunt, ita confirmantur iis, quae ibidem (*p.* 84) dicuntur. » L'appréciation morale » peut et doit influer sur la loi pénale, en tant qu'elle est *externe* ou fondée sur les prin- « cipes probables, qui ont déterminé l'agent, et qui doivent être déduits par le juge « *principalement* des *circonstances* et du *tempérament* de l'accusé et *secondairement* de sa *con-* « *fession*, s'il y en a qui soit conforme aux circonstances, et qui soit assez probable pour « être adoptée. »

Quam vero exiguam, quin ne ullam quidem *nonnumquam*, vim ipsi per se spectatae *confessioni* tribuerit, facile constat ex iis, quae praeclare observavit *p.* 68 *n°. et p.* 76—78. Quibuscum conferentes, quae monuit *Inst. Jud. T. V. p.* 246 *et n°* 1 et 272 *suiv. n°* 1, videmus, eum minus accurate de Berolinensi commentatione ita loqui, ac si in ea *numquam* confessioni vim tribuendam defenderit.

Quodsi hujus egregiae ceteroquin disputationis censura instituenda esset, primum quidem dubitandum videretur, num ad ipsam quidem quaestionem responderit auctor. Etenim de illius *moralis* sive *ethicae* actionum *aestimationis*, quae proprie vereque dicitur, in jus criminale vi quaesivisse videtur Berolinensis societas; — qua quidem significatione quaestionis verba *moralische Schätzung* (*appréciation morale*) accepit SÜSKIND. Hanc vero hic non intellexit MEYERUS. Qui quantopere ea, de qua disputavit, actionum aestimatio, *moralis* proprie dicenda non sit, ipse sensisse mihi videtur. Non tantum enim (ut ad quaestionem tamen respondisse videretur) *duplicem*, eamque oppositam nonnumquam, ejusdem actionis *moralem aestimationem* (*appréciation morale*) admisit (*p.* 67): — verum vel ipse (*p.* 72) vere *internam* sive *moralem* aestimationem (*appréciation interne, morale*) ab *externa* sive *juridica*, de qua tamen una in tota disputatione egit, diserte distinxit; quin et hanc ipsam alio, longe illo accuratiore, *externae aestimationis* (*appréciation externe*) nomine saepius appellavit (*p.* 26, 71, 73, 74, 85, 100, 131).

Praeterea quaererem: — an satis quidem accurate ipsum disputationis argumentum constituerit: — an ea, quae affinia quidem, sed distinguenda tamen sint, diligenter ubique separaverit; — an justae quidem perpetuo sint ejus definitiones; — an ex Romano inprimis jure apta et disputationi congrua semper attulerit loca? Illud certe negari vix possit, nimio humanitatis studio ductum, in eum errorem incidisse MEYERUM, ut quae imputanda et in

Digitized by Google

delictis ponenda non negaverit, eadem tamen interdum, quamquam rarius, ne omnino quidem punienda statuerit (*p.* 89 *et* 95).

Quae si ita sint, multis tamen, ut diximus, veris pulcrisque se commendat haec commentatio. Quo pertinent quae de legis criminalis deque poenarum fine, de puniendi jure non naturali sed legibus constituto, de morum in leges criminales vi, de delictis non consummatis, de mortis poena, de gratiae jure, de muneris quo judex criminalis fungitur gravitate, disputavit. Summo igitur jure dixisse videtur (*p.* 131): « Si cependant notre so-« lution n'est pas telle qu'on la désire, nous espérons du moins avoir posé des principes « dont le developpement doit produire des règles fixes, des nouveautés vraies et utiles dans « la législation criminelle; et si notre ouvrage n'obtient pas le suffrage des préposans, « du moins pourra-t-il servir à d'autres questions criminelles, dont la solution est liée à « celle que nous avons donnée.»

(73) Quae de hujus de jure *transitorio* libri historia diximus, ex ejus praefatione (*p.* 12-14) petivimus; — ubi (*p.* 9 *et* 11) recte monuit, gravissimum hoc argumentum egregie quidem attigisse neque tamen absolvisse doctissimos WEBER et CHABOT DE L'ALLIER.

Hujus autem operis (ad instar magni BYNKERSHOEKII, qui Hollandici et Zelandici juris systema in suum usum conscripsit, concepti) duplex fuit disquisitio. *Priore* enim (*p.* 1—46) ex ipsa rei natura petuntur regulae; — *posteriore* vero (*p.* 46 *suiv.*) legum praeceptis confirmantur eaedem; ut his verbis (*p.* 52) quibus universam hanc rationem egregie exposuit, significavit auctor: « Nous examinerons les dispositions du droit *Romain*, *féodal* et *canon* sur « les lois transitoires: — nous tâcherons de découvrir les dispositions qui se trouvent à ce « sujet dans les *codes mêmes*, ainsi que dans les principes généraux qui dominent dans les « *lois particulières:* nous rechercherons les dispositions sur les cas *analogues*, s'il en existe; — « nous examinerons quelques principaux points établis par la *jurisprudence.* ».

In paucis autem, in quibus MEYERUM secuta non videntur praecipua patriae nostrae judicia, fuit ejus sententia de elegantissima controversia: ex notissimo illo NAPOLEONIS decreto de fideicommissis apud nostrates servandis fideicommissario *primo appellato* (*le premier appelé*) nato ante calendas Martias anni 1811, quid juris esset, post introductas quidem leges Francicas, sed ante fiduciarium, mortuo fideicommissario. Non enim ut fere fuit receptum, tum cessasse omnem fideicommissi vim, sed contra in *primi appellati* jus successisse hujus heredes, putavit MEYERUS (*l. l. p.* 147 *n*° 1). Qui summi viri error inde videtur repetendus, quod *fiduciareum* (*le grévé*) cum *usufructuario* quodammodo confudit. Cui consequens fuit, ut *fideicommissarium primum appellatum* (*le premier appelé*), salvo possessoris sive *fiduciarii usufructu*, a calendis Martiis anni 1811 factum fuisse proprietarium statuerit (*p.* 145—147).

Nec magis placet quod (*p.* 179 *suiv.*), ubi post novam legem quaeritur, num ob *enormem laesionem* rescindendus sit contractus, ante eam initus, ex hac tamen nova lege, non ex ea qua vigente contractum fuit, respondendum defendit: recte dissentiente Cons. J. SMITS VERBURG *disp. de lege ad praeteritum non revocanda*, (*L. B.* 1823, *p.* 98 *sqq.*). Hinc autem exstitit haec

Digitized by Google

opinio, quod ejusmodi laesionem, minus recte ut videtur, inter *accidentales* contractus sequelas (*suites accidentelles*) retulit (*p.* 179).

Ceterum MEYERI hoc opere expositas sententias in multis secuti sunt; — (ne de disquisitione Cons. HUIDEKOPER in *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1826, *bl.* 161—207, deque academicis disputationibus, de hoc argumento aut de insigniore ejus parte conscriptis a Conss. HIDDINGA, SMITS VERBURG, KIEN, aliis, dicamus) — BERGMAN, *das Verbot der rückwirkenden Kraft neuer Gesetze*, *Hannov.* 1818 et MERLIN, *Répert. in v. effet rétroactif*, ubi MEYERI, quem plurimum laudat, hoc ipsum opus honorificentissime commemoravit, ac licet in nonnullis dissentiens, in non paucis assensus ei fuit.

(74) Francici juris patronum se praestitit inprimis, tam erudita disputatione in *Bijdr. tot Regtsgel.*, 1834, n°. 1 *bl.* 42 — 100, quam alia de juris regula: *quisque praesumitur bonus donec probetur contrarium*; eo praecipue, ut hujus juris causa agaretur, scripta consilio.

(75) Cf. disp. in *Bijdr. tot Regtsgel. l. l.*.

(76) Cf. *Inst. Jud. Introd. passim* et *Codif. p.* 3.

(77) Cf. *Inst. Jud. Introd. p.* 5 et *T. IV. p.* 311 n° 1.

(78) Cf. *Codif. p.* 3 *et passim*.

(79) BENTHAMUM quamquam universe magni fecit (v. *Inst. Jud. T. II. p.* 300 n° *et T. V. p.* 298 n° 1 et *Codif. préf. p.* 9 *et p.* 126): obscuritatem tamen et Ictorum contemtum in eo reprehendit (*Codif. p.* 126 n° 1 *et p.* 145 n° 2). Ejusdem quoque opinionem, peregrinum esse oportere, qui novas leges civitati scribat, minime probavit (*ib. préf. p.* 11). Neque magis eidem assensus est existimanti, non unas criminales verum civiles quoque et forenses leges ita scribendas, ut rudissimus quisque easdem facile intelligeret (*Inst. Jud. T. VI. p.* 61). BENTHAMI de *utili* doctrinam refutarunt C. F. BURLETT; *diss. qua Benthami de utili doctrina dijudicatur*, *Amst.* 1829 et DE WAL, *Prijswerh. over het bestaan, den aard en de behandeling van het natuurregt*, *Amst.* 1833, *bl.* 113 — 115 *en bl.* 136 *volg.*

(80) Principibus viris tantopere placuerunt, quae legis de imperio scribendae opportunitate praestitit MEYERUS, ut equestris ordinis insignibus haud ita multo post peractum hoc munus fuerit ornatus. — Praetermittendum autem non videtur, et externam universe qua concepta fuit hujus legis formam (*de redactie*), et vero praecipue ejusdem caput de juris administratione *anonyma* epistola probasse MEYERUM (*R. Briefw. bl.* 437—457). Haec autem provincia quantos ad augendam prudentiam fructus ipsi attulerit, intelligitur ex *Haute Cour. prov. préf. p.* 1.

Digitized by Google

(81) Postquam ad causarum patrocinium se recepit, ad rem publicam non amplius fuit vocatus; — nisi quod, ut supra retulimus, inter eos, qui de optima ratione scribendae patriae historiae forent arbitri, publice fuit lectus.

(82) Cf. quae supra, nota 72, annotavimus.

(83) Ab ipso quoque MEYERO separatim edita.

(84) In gravissima illa, num foenori modum imponere oporteat legem, controversia, cum BENTHAMO, quem tamen nondum noverat, mirifice congruisse MEYERUM, recte observatur in *Jaarb. v. d. Israel. l. l. p.* 23. Hanc autem disputationem memorans *Inst. Jud. T. VI. p.* 36 *n*° 1, BENTHAMUM et ipse laudavit. — *Pactitio* foenori modum non posse praescribi, variis, quae in legis fraudem fieri possent exemplis probavit *p.* 58 — 60; — deque legitimis coercendae foeneratorum licentiae remediis acute disseruit *p.* 73 — 76. Ut autem usuram pacto non definitam lege statuendam esse concessit: — ita legitimam hancce non prorsus stabilem, sed vario sortium publice mutuo acceptarum (*fonds publics*) pretio adaequatam maluit (cf. *p.* 82). Judicum quoque arbitrio tantum hic relinquendum existimavit, ut, si aequum videretur, legitimam usuram tertia parte augere aut minuere iisdem liceret (cf. *p.* 33 *suiv*).

(85) In erudito hoc de futuris patriis legibus epistolarum commercio praecipuae fuere MEYERI partes. Novem enim anonymas (a *D* ad *E* missas), non minus quam decimam, cui nomen suum inscripsit, auctorem habuisse eundem, ut ex multis conjici potuerat, ita constat, tam ex sextae partis titulo, quam ex iis quae scripserunt et ipse *p.* 472 *n*°, 485 *n*° 3, 493 n_a 1 et Cl. TYDEMANNUS *p.* 541.

Harum autem epistolarum consilium ut passim, inprimis p. 9, significavit auctor, ita plerarumque argumentum summatim exposuit *p.* 23 *sq.*, 112, 239 *sq.* et 358—461. — In multis exquisitae doctrinae, in medio jure et nomothetica disciplina versantibus, observationibus eminent disquisitiones, quibus gravissima haec attigit argumenta: — tutelam (*ep.* 2), externam legum formam forique usum (*ep.* 3), varias juris criminalis controversias (*ep.* 5), jus cambiale mercatorumque qui non sunt solvendo jura (*ep.* 6), assecurationis contractum (*ep.* 7), falsi crimen (*ep.* 8), legis de imperio caput quod justitiae administrationem spectat (*ep.* 9). — Ultimo autem loco (*ep.* 10), quae pro servandis in regionibus Borussico-Rhenanis juratorum judiciis ad Regem publice fuere relata, interjectis suis observationibus, eo contraxit consilio, ud, quod sub Francorum dominatione exporti fuerant nostrates, quod vero eorum plerisque non magnopere placere noverat (cf. *p.* 401 *n*° 1) patriae nostrae impense commendaret juratorum judicum institutum.

Hujus enim patrocinium, quamquam ob politicas maxime causas, ut hic, ita inprimis in praeclara institutorum judicialium historia, adeo tuitus est MEYERUS, ut nullam accerrimum

Digitized by Google

ejus defensorem se propugnatoremque praestandi occasionem usquam praetermiserit. In historica enim hujus operis parte, *T. II. L. III.* (praesertim *p.* 148, 202 *sqq.*, 219 *sqq.*) huic, Anglorum domestico et apud eosdem latissime patenti, instituto tantas tribuit laudes, ut vix esset quod in eo, quemadmodum in Anglia compositum est, reprehendendum ipsi videretur. Hinc *T. V. L. VII. cap.* 9—12 laudatis Francis, quod haec (hic denuo *p.* 462 *sq.* praedicata) judicia ab Anglis petierint et perpetuo servaverint, commutationes tamen, quas eis attulerunt, adeo reprehendit, ut a naturali praestantia longe longeque remota, quin corrupta propemodum, illa habuerit. Altera vero philosopha sive nomothetica ejusdem operis parte (*T. VI. L. VIII. ch.* 22 — 25, 29 *et* 33 *p.* 590 — 596) eadem judicia, non in transitu verum dedita hic opera, abunde commendavit; — hic rursus non ista a Francis deformata (*p.* 381 *n*° 1, 419 *n*° 1, 426 *n*° 1, 477), sed ex nativa qua apud Anglos florent praestantia. Vel sic tamen neque magna illa sive accusationis a juratis judicibus habenda judicia (*grand jury, jury d'accusation*), neque civilia (in his tamen pancis exceptis) ab iisdem nonnumquam instituenda, ab Anglis repetenda duxit (*ib. T. VI. passim* et *Codif. p.* 261).

Num autem quae adversus juratorum judicium institutum afferuntur, difficultates prorsus refutaverit, quaeque huic afferre studuit remedia satis efficacia habenda sint, num inprimis apud nostrates servandum illud fuisse probaverit, equidem dubitem.

(86) Neque uni quo editus fuit tempori, neque soli patriae nostrae propria habenda sunt hujus, de supremo judicio continuo instituendo, libelli argumenta; sed continet plura, quorum perpetuus eris usus, quaeque in institutionum judicialium historia uberius exposuit. Judiciariae enim potestatis prudenter institutae in omnem rempublicam, in civium praesertim libertatem, singularem vim; — totius juris administrationis necessariam per integram civitatem consensionem; — multorum, quae a Francis accepimus, forensium institutorum (*cour de cassation, ministère public, obligation de motiver les jugemens etc.*) praestantiam; — aliaque non minus gravia; — adeo hic tutus fuit, ut hoc opusculum, tam ob egregium quo scriptum fuit consilium, quam ob praeclara eo exposita principia, merito laudasse videatur Cl. TYDEMAN, *R. Briefw. bl.* 546.

(87) De hac institutorum judicialium praecipuorum Europae populorum historia operae pretium est conferre, quae tam in *Alg. Konst- en Letterb.*, 1818, *n*° 32 *bl.* 18, quam in operis praefatione praemonuit auctor. Quanta autem apud exteros fuerit ejus fama, conspicitur praeconio, quod in Francia ei tribuit Cons. MILLIELOT. Hic enim in primi voluminis censura (*Thémis ou Bibliothèque de Jurisconsultes T. IV. p.* 97 — 124) inter alia (*p.* 98 *suiv*). haec scripsit: « Le temps qui fait les véritables réputations, en assurera de plus en plus le « succès; et les travaux de M. MEYER se placeront à côté des savantes recherches des DIGNON, « des VALOIS, des MONTESQUIEU, et des autres hommes illustres, qui ont créé l'histoire de « l'ancienne Europe, en la tirant du chaos où elle était plongée. — Une connaissance approfondie des sources et des monumens historiques; une érudition assez vaste pour embrasser

Digitized by Google

« tout ce qu'il faut connaître, assez éclairée pour éviter la confusion, réunir et coordonner « des débris et en forme un ensemble régulier; le discernement, qui, au milieu des con- « tradictions apparentes des textes, et des opinions opposées, sait distinguer le plus haut « degré de probabilité à défaut de l'évidence; enfin, l'esprit philosophique qui découvre « dans les institutions le germe de leur perfectionnement, et leur rapport avec le caractère « et les habitudes des peuples qu'elles gouvernent; telles sont les qualités, que nous avons « cru remarquer dans le premier volume de M. MEYER. » — Quibus addatur honorificum judicium doctissimi VON GIORIO, *cens. rer. jud. Europ. Lips.* 1820 *praef. p.* 57 *sq.* cum alia, tum *memorabile* et *rem immensi operis* hoc scriptum dicentis.

Nec minoris illud fecerunt ex popularibus eximii harum rerum arbitri. In quibus nobilissimus HOCKENDORPIUS voluminis IV. laudes quam magnifice celebraverit, significavimus n° 29. De tribus vero primis voluminibus honorificentissime pronuntiavit Cl. TYDEMANNUS, *R. Briefw. bl.* 545 sic decens: « Na drie deelen van uw doorwrocht en boven mijnen lof « verheven werk over den *Geest en de Geschiedenis der Regterlijke Instellingen van Europa*; « in welks Inleiding gij voortreffelijke wenken over wetgeving gegeven hebt, die voor de « vorming of althans voor de beoordeeling onzer nieuwe wetgeving niet zonder vrucht « zullen blijven. »

Quae, multorumque aliorum et nostrae quoque, hujus operis laudes justis majores videbuntur nemini, quem non fugerit ipsius auctoris ejus scribendi consilium. Tantum enim abfuit, ut singula argumenta cum pulvisculo auferre, historiamque tradere sibi proposuerit omnibus numeris absolutam, ut una maxime insignia institutorum judicialium capita attingere et ad praecipuam, quam ultimo volumine complexus fuit, operis partem cuncta referre voluerit, — ut monuit tam in praefatione (*Introd. p.* 62 *suiv.*) quam passim, inprimis ubi de recentiore Germania egit. Cui quidem (sive quia ad finem properabat, sive ob varia et implicita, quibus usa fuit et jam utitur, forensia instituta, sive quod haec ipsa liberalioris ingenii scriptori multo minus quam Anglica en Francica placuerunt) si non tantum, quantum reliquis impenderit industriae: — iniquius tamen de universo opere judicasse mihi videtur eruditissimus BETHMANN HOLLWEG, in eximio libro *Gerichtsverfassung und Prozess des sinkenden Römischen Reichs, Bonn* 1834 *Vorr.* 5. 13 haec dicens: « Grosse Erwartungen erregt « das geistreich angelegte Werk von MEYER (*Inst. Jud.*). Allein dass es nicht bloss darauf « ankommt eine richtige methodologische Idee zu fassen, zumal in unserer Zeit, wo sie « so wohlfeil sind, sondern von ihr erfüllt mit Treue und Fleiss das Einzelne zu erforschen « und zu einem wahren und lebendigen Ganzen zu verbinden, ist an diesem Buche recht « sichtbar. Das Wesen der gerichtlichen Institutionen der bedeutendsten Länder Europas « Germanischen Ursprungs aus ihrer Geschichte zu entwickeln, war ein schöner Gedanke. « Die Durchführung desselben ist aber zu flüchtig um ein befriedigendes Resultat zu ge- « währen. Von der Gerichtsverfassung in Deutschland hat der Verfasser die abenteuer- « lichsten Vorstellungen, und ach die Geschichte der Französischen, die ihm näher lag, « giebt nur ein sehr allgemeines unlebendiges Bild. Obgleich der Verfasser SAVIGNY's und

Digitized by Google

« EICHHORN's Arbeiten kennt, so fehlt doch ganz eine richtige Würdigung der Germanischen « Rechtsverfassung im Mittelalter und des Einflusses, den das Römische Recht auf den Pro- « zess der Romanischen Länder geübt hat. »

Quas autem ob causas ex recentioribus Europae civitatibus Angliam, Franciam, Germaniam et patriam nostram selegerit, et harum unarum res judiciarias exposuerit, monuit *Introd. p.* 47 *suiv.* et *T. VI. p.* 574 *suiv.* Aliarum tamen civitatum nobiliora inprimis instituta, data opportunitate, in annotatione eleganter contulit saepe.

(88) Alteram, non historicam sed philosopham et nomotheticam hujus operis partem quam longe eam praecipuam habuerit, significavit *Introd. p.* 63 *et* 68, *T. V. p.* 337 *suiv. n°* 1, *T. VI. p.* 574, 575 *et* 601.

Huic autem ut ultimum destinavit volumen, reliquis tamen, quaenam ex descriptis institutis pro optimis haberet, quaeque in his ipsis emendanda viderentur, passim indicavit.

In quae si quis putet quaedam irrepsisse, quae, ex liberalissimo licet cunctorum jura fortiter tueri in summa voluptate ponentis summi viri ingenio repetenda, num tamen civili prudentia sint probanda ipsoque usu recipienda, dubitandum videatur, equidem non repugnabo. Ne enim de acerrimo hic dicam juratorum judicum patrocinio (nimis enim anceps, nobilissimis eruditis in utramque partem disputantibus, est haec controversia) aut omnia me fallunt, aut pauci in nostratibus certe Icti, probabunt quae de singulorum judicum suffragiis cum ipsa sententia palam significandis (quod tamen tuetur quoque FEUERBACHIUS), quin de universa eorundem de pronuntianda sententia deliberatione populo coram habenda (adversus FEUERBACHIUM) disseruit *Inst. Jud. T. VI. p.* 142 *et suiv. n°* 1.— Quae cum ita sint, pleraque tamen hic commendata dignissima videntur, quae a pluribus Europae civitatibus recipiantur, et apud Anglos, quorum tamen servilem imitatorem ne quis hic habeat MEYERUM, laete jam florent.

Horum enim tam universae reipublicae quam rerum praesertim forensium temperationem cunctis quidem reliquis aperte praetulit (*Inst. Jud. T. II. p.* 2, 8, 49, 82, 204, 205, 206, 219, 234, 255 *suiv.*, 314 *suiv.*, *T. III. p.* 1, 275 *n°* 1, 315, *T. V. p.* 366 *suiv. T. VI. p.* 413 *et* 464 *n°* 1 *et passim*, et *R. Briefw. bl.* 414); — hinc praecipue, quas ultimo loco universae Europae commendaturus esset, emendationes se petiturum professus *T. II. p.* 318. Verum Anglici tamen juris vitia Anglorumque minus accuratam legum scribendarum rationem non modo non dissimulavit (*ib. p.* 299 *suiv. et T. VI. p.* 112 *suiv.* et *Codif. p.* 220 *et* 243); sed eo inprimis consilio, ut Anglis praesertim legum Codicum emolumentum commendaret, ultimum scripsit librum (cf. *Codif. passim*, inprimis *préf. et lettre* 4° *p.* 210 *suivv.*). Quin et, partim propter quaedam ne ipsis quidem Anglis commoda, partim vero ob complura, quamtumvis licet in iis praedicanda, ipsorum tamen propria neque in alias civitates transferenda, judicialia nobilissimi hujus populi instituta reliquis gentibus ne exempli quidem instar ad imitandum posse proponi, diserte affirmavit *Inst. Jud. T. VI. p.* 112 *suiv.*

Si qua vero cunctis Europae civitatibus ut reciperent suasit, ne haec quidem ipsa ita com-

Digitized by Google

mendavit, ut non quaedam in iis temperanda duxerit.— Illustre in juratorum judiciis est exemplum. Non tantum enim in civilibus causis non nisi raro admodum his aliquid relinquendum censuit (cf. *ann.* 34); verum quam, de Anglorum rebus agens (*Inst. Jud. T. II. p.* 219), magnopere laudaverat horum judiciorum speciem (*grand jury, jury d'accusation*), eandem deinde *universe* adeo non commendavit, ut potius vehementer improbaverit (*ib. T. VI. p.* 450 *suiv. et* 595).

De Francicis quoque judiciariis institutis quam aeque hic etiam judicaverit, observavimus supra (*n*ᵒ 50).

(89) Postremum quod edidit opus (*de la Codification etc.*) pro *institutorum judicialium historiae* corollario habuit ipse *préf. p.* 1. Ab illius tamen immortalis monumenti praestantia longe distare hoc opusculum, in iis quibus juris Remani historia attingitur lapsum nonnumquam fuisse, de summo praesertim SAVIGNIO minus recte hic judicasse MEYERUM, facile concedimus. Vel sic tamen multis egregiis abundat observationibus, quarum complures variis annotationis locis attulimus. Placent quoque inprimis quae (*p.* 186 *suiv.*) disputavit de iis, quae in scriptis legibus requirenda videantur. Ex pluribus vere aureis ejus loci praeceptis, unum exempli instar, afferri juvat (cf. *p.* 182): « Une fabrique continuelle de dispositions » législatives est le fléau principal et le reproche le plus fondé des Codes écrits. » — Quae ingenua professio eo magis laudanda in MEYERO, quod hic ceteroquin legum scriptarum acerrimum vindicem se praestitit.

Acerbius, et ita ut, perstrinctum a MEYERO ipsius scholam indigne ferens, praejudicata opinione censuram egisse videatur, in hunc librum, cujus tamen integrum ad Angliam pertinentem locum qui dijudicaret, imparem se habuit, invectus est Cl. WARNKÖNIG, *Kr. Zeitschr. für Rechtsw. und Gesetzgeb. des Auslandes, III. B. S.* 231—258. Paucis quoque, verum ita ut quam parvi illud faceret declararet, hoc opus commemoravit Cl. HUGO, *Göttinger gelehrte Anzeigen* 1830 *n*°. 157.

(90) Obiit Amstelodami die 6 Decembris anni 1834.

INDEX EORUM QUAE SCRIPSIT ET EDIDIT MEYERUS (1).

I. *Opera et opuscula separatim edita.*

Disputatio juris, sistens dubia de THOMAE PAYNE doctrina: in jure publico civitatum posteros ex majorum pactis conventis non obligari. Praes H. C. CRAS, 7 Nov. 1796. Amst. 1796.

(1) Typis quidem exprimi curavit nec tamen publici juris fecit: *Pleidooi in zake van* LODEWIJK BONAPARTE, *Graaf van St. Leu, Eischer, tegen den Heer Officier van Justitie als Procureur des Koninga, gedaagden, uitgesproken voor de Regtbank van Eersten Aanleg te Haarlem, in derselver teregtzittingen van* 21, 22 *en* 23 *Maart* 1820.

Digitized by Google

Addres aan 't vertegenwoordigend Ligchaam des Bataafschen Volks op den 27 Januarij 1800 gepraesenteerd door ISAAC CORNELIS MARCEL (1).

Essai sur la question: L'appréciation morale d'une action peut-elle entrer en considération, quand il s'agit d'établir et d'appliquer une loi Pénale? Et si elle y entre, jusqu'à quel point peut-elle y entrer? Amsterd. 1804.

Essai, qui a remporté le prix au concours ouvert par l'académie du Gard à Nismes sur une question: déterminer le principe fondamental de l'intérêt, les causes accidentales de ses variations, et ses rapports avec la morale, Amsterd. 1809.

Principes sur les Questions Transitoires, Amsterd. 1813.

Briefwisseling van eenige Regtsgeleerden over de aanstaande Nederlandsche Wetgeving, Leyden 1814 — 1819, 6 stukken (2).

Lettre à l'Observateur de Bruxelles par un Néerlandais, la Haye 1815.

De la nécessité d'une Haute Cour Provisoire pour le Royaume des Pays-Bas, la Haye 1817 (3).

Esprit, origine et progrès des institutions judiciaires des principaux pays de l'Europe, 6 vol., La Haye (a 5e vol. Amsterd.) 1818—1823. — 2e ed. 5 vol. Paris 1823.

De la Codification en général et de celle de l'Angleterre en particulier, Amsterd. 1830.

II. *Eruditis collectaneis insertae dissertationes et orationes.*

Mémoire sur l'origine de la différence relative à l'usage de la langue Flamande ou Wallonne dans les Pays-Bas, lu dans la séance du 8 Mai 1825. (Nouv. mém. de l'Académ. Roy. des sciences et belles-lettres de Brux. T. III. p. 435 — 491).

Verhandeling over de benamingen der maanden in het Nederduitsch. (Verh. der 2e Kl. van het Kon. Ned. Instit. I. D. bl. 130 — 176).

(1) Praefationi subscripserunt libelli auctores J. D. MEYER et C. ASSER.

(2) Ultimi voluminis titulo adscripta sunt praecipuorum auctorum nomina (Mr. J. D. MEIJER, Mr. H. W. TYDEMAN, enz). — MEYERI sunt novem epistolae anonymae a *D.* ad *E.* missae, et una non anonyma de juratorum judiciis.

(3) Etiam vernaculo sermone: over eenen provisionelen Hoogen Raad.

Digitized by Google

Verhandeling bevattende eenige bedenkingen over poorterijen en de vergunning dier regten aan Amsterdam, bij gelegenheid van den tolbrief, door graaf FLORIS aan die stad bij vernieuwing gegeven, in den jare 1291. (Aldaar II. D. bl. 139 — 164.)

Verhandeling over het onderzoek en de herziening der stedelijke en plaatselijke voorregten en keuren door de regterlijke magt in de Nederlanden en bijzonder door den Hoogen Raad. (Aldaar V. D. bl. 55 — 82.)

Verhandeling over de vraag: of de graven van Holland aan de Staten verantwoording deden of lieten doen wegens het gebruik der beden of onderstandsgelden, door de Staten toegestaan. (Aldaar VI D. 2°. st. bl. 71 — 141.)

Voorlezing bevattende eenige denkbeelden over de welsprekendheid der Nederlandsche Pleitzaal. (Verslag der 6e Openb. Verg. der 2e Kl. van het Kon. Ned. Instit. 1826, bl. 28—47.)

Voorlezing over JOAN VAN OLDENBARNEVELD als den man, aan wien de staatkundige vorming van ons land als gemeenebest is toe te schrijven. (Verslag der 10e Openb. Verg. der 2e Kl. van het Kon. Ned. Instit. 1835, bl. 56 — 82.)

Verhandeling over den regel: dat iedereen voor eerlijk wordt gehouden tot dat het tegendeel is bewezen. (Mnemosyne verz. en uitgeg. door TYDEMAN en VAN KAMPEN, Dordr. 1818, Ve St. bl. 233 — 268.)

Aanmerkingen over de Hoorigheid, en derzelver bestaan nog heden in Nederland. (Bijdragen tot Regtsgeleerdheid en Wetgeving verz. en uitgeg. door Mr. C. A. DEN TEX en Mr. J. VAN HALL, Amst. 1826, I. D. n°. 4. bl. 441 — 449.)

Verhandeling over de gevolgen der gecontinueerde gemeenschap tusschen den langstlevenden der echtgenooten en de erfgenamen van den eerstgestorvenen, naar Oud-Hollandsch en Costumier regt. (Aldaar 1831, VI. D. n°. 1, bl. 58 — 114.)

Vertoog over de regten en verpligtingen van eenen commissionair, die voor derde rekening goederen of effecten heeft gekocht. (Aldaar 1834, VII. D. n°. 1 bl. 42 — 101.)

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM,

QUAE HABITAE SUNT

IN ATHENAEO FRANEQUERANO,

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

F. DE GREVE, *Juris Romani Historiam*, quater enarravit, quater item *ejusdem juris Institutiones* exposuit, quater quoque *jus naturae* tradidit.

S. ENS, *Osteologiam* bis docuit, *Physiologiam* tradidit quater, quater item *Chirurgiam*, ter vero cum *Artem Obstetriciam* tum *Praxin medicam* exposuit. Praeterea hiberno tempore *demonstrationes in Cadaveribus* exhibuit *Anatomicas*.

C. MULDER, *Chemiam* quater, item *Botanicen* quater docuit.

W. MUURLING, *Historiam Ecclesiae Christianae* quater, item *Hermeneuticam* et *Exegesin N. T.* quater tradidit.

W. A. ENSCHEDE, *Matheseos Elementa* quater tradidit, *Trigonometriam* et *Stereometriam* bis docuit, *Physicam experimentalem* quater, *Logicam* bis exposuit.

J. A. C. ROVERS, *Historiam gentium* enarravit quater, bis *Euripidis Alcestin*, bis libros *Platonis de Repub.* I — III interpretatus

Digitized by Google

est, bis *Sallustii bellum Jugurthinum* explicuit, quater tradidit *Antiquitates Romanas*.

T. W. J. JUYNBOLL, *Grammaticam linguae Hebraeae* quater docuit, bis scholas *Philologico-Criticas* in *Psalmos Selectos et Obadiam*, bis item lectiones *cursorias et exegeticas* in *libros Samuelis* habuit.

Digitized by Google

ATHENAEUM ILLUSTRE

AMSTELAEDAMENSE.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOMINA PROFESSORUM

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI

a. d. VIII *Febr.* MDCCCXXXVII *ad d.* VIII *Febr.* MDCCCXXXVIII

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

CLARISSIMI ORDINIS PRAESES

J. VAN HALL.

ACTUARIUS

G. S. SWART.

PROFESSORES JURIS UTRIUSQUE.

C. DEN TEX.
J. VAN HALL.

THEOLOGIAE.

G. J. ROOYENS.

MEDICINAE.

GER. VROLIK.
F. VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.
GUIL. VROLIK.
C. B. TILANUS, Professor Honorarius.
G. C. B. SURINGAR, Professor Honorarius.

Digitized by Google

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

G. S. SWART.
G. H. DE VRIESE.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. J. VAN LENNEP.
N. G. VAN KAMPEN.
T. ROORDA.

LECTOR.

H. DE HARTOG.

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELAEDAMENSI

in annum MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII *proposita.*

JACOBUS VAN HALL,

publice, selecta quaedam Juris Privati capita juventuti disceptanda proponet.

privatim, tradet

Jus Civile Hollandicum, exponendis ejus principiis, secundum compendium a NIENHUISIO v. cl. compositum; diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina;

Jus Romanum, enarrandis Digestorum libris XVIII — L, iisdem diebus, hora IX, et explicandis JUSTINIANI Imp. Institutionibus, iisdem diebus, hora X; denique

Jus procedendi in causis civilibus, diebus Mercurii et Veneris, hora XII — II.

GERARDUS VROLIK,

privatim, docebit

Obstetriciam theoreticam, diebus Mercurii et Veneris, hora II — III.

Philosophiam botanicam, horis indicandis.

DAVID JACOBUS VAN LENNEP,

publice, praecipua quaedam Historiae et Literarum capita tractabit, vel ipsi juventuti, exercitationis causâ, disceptanda proponet.

privatim, tradet

Literas Latinas, interpretandis Ciceronis Libris de Re publica, Ovidii Heroidum Epistolis XVIII et XIX; Catulli Epithalamio Pelei et Thetidis; diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora XII — I;

Literas Graecas, interpretandis Herodoti Libro II a Cap. 35 ad finem, Homeri Iliados Z., Idylliis Theocriti selectis; iisdem diebus, hora II — III;

Antiquitates Romanas, iisdem diebus, hora I — II;

Digitized by Google

Historiam Artium et Doctrinarum, diebus Lunae et Saturni, hora XI — I.

FRANCISCUS VAN DER BREGGEN, CORN. FIL.

privatim, exponet

Pathologiam, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora matutina IX;

Doctrinam de cognoscendis et curandis hominum morbis, diebus atque horis deinceps indicandis;

Medicinam Forensem, diebus Martis et Veneris, horis deinceps indicandis.

CORNELIUS ANNE DEN TEX,

publice, varia loca ex Jure Naturae, Publico et Gentium juventuti disceptanda proponet;

privatim, tradet Historiam Jurisprudentiae Romanae, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina,

Jus Naturale, iisdem diebus, hora IX,

Jus Criminum et poenarum, iisdem diebus, hora XI.

Oeconomiam politicam, diebus Martis et Jovis, hora XII.

GISBERTUS JOANNES ROOIJENS,

publice, Quaestiones aliquot Theologicas Juventuti disceptandas proponet,

privatim, tradet

Historiam Societatis et Religionis Christianae ab initio ad Carolum M., diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII matutina,

Theologiae Christianae partem Theoreticam, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX,

Theologiae Christianae partem Practicam, diebus Jovis et Veneris, hora X,

Exegesin novi Testamenti, persequenda interpretatione Orationis Montanae Matthaei Cap. V - VII, explicandisque deinde locis quibusdam selectis, diebus Martis et Mercurii, hora X.

Exercitationes Homileticas moderabitur.

NICOLAUS GOTHOFREDUS VAN KAMPEN,

publice, partes quasdam historiae literariae Patriae tractabit,

privatim, Styli Hollandici praecepta tradet, et exemplis illustrabit e flori-

Digitized by Google

legio suo (*Bloemlezing uit Nederlandsche Prozaschrijvers*), diebus Lunae et Saturni, horis XI — I;

Historiam Patriae enarrabit, diebus Lunae et Saturni, horis VIII — X;

Historiam Linguae Batavae exponet, die Veneris, horis II — IV;

Exercitationes oratorias moderabitur.

GUILLIELMUS VROLIK,

privatim, demonstrationes anatomicas habebit tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora p. m. sexta,

docebit porro Zootomiam, tempore vernali, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina decima,

Osteologiam, tempore hiemali diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina decima,

Physiologiam, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina nona,

Methodum secandi, tempore hiemali quotidie horis post meridiem I — II,

Anatomen pathologicam, diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, hora matutina octava.

TACO ROORDA,

privatim, *Grammaticam Hebraeam* docebit adiunctâ lectione *posterioris Regum libri*, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora X matutina;

Antiquitates Hebraeas, diebus iisdem, hora IX;

Exegesin veteris Foederis, interpretandis *psalmis*, qui *Davidis* nomen inscriptum habent, diebus Martis et Mercurii, hora XII;

Linguae Arabicae grammaticam, iisdem diebus, hora XI;

Cum provectioribus FREYTAGI *Arabicam Chrestomathiam historicam* leget, die Saturni, hora p. m. VI — VIII;

Linguam Aramaeam instituet, horâ sibi et discipulis commodâ;

Denique *Philosophiae theoreticae* initia, praesertim *Psychologiam* et *Logicam*, docebit, die Mercurii, hora p. m. III et diebus Jovis et Veneris, hora XI.

Digitized by Google

GUILLIELMUS SIMON SWART,

privatim, docebit

Elementa Matheseos, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora IX,

Physicam, diebus iisdem, hora XI,

Chemiam generalem et applicatam, diebus iisdem, hora I.

GUILLIELMUS HENRICUS DE VRIESE,

privatim, docenda re herbaria interpretabitur *Elementa Botanica in usum praelectionum Academicarum edita a Viro Cl. H. C. van Hall*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora matutina decima,

tradet pharmacologiam, iisdem diebus, hora undecima.

CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS,

privatim, tradet

Chirurgiam et Obstetriciam theoreticam et practicam, singulis diebus, hora XII,

Exercitationibus clinicis in Nosocomio praeerit, quotidie, horis VIII-X.

GERARDUS CONRADUS BERNARDUS SURINGAR,

privatim, docebit.

Therapiam Generalem, sive summa medendi praecepta, diebus Martis, Jovis et Veneris, hora I;

Pyretologiam, quae vocatur, et praecipua *Neurosium* genera, diebus Lunae, Mercurii et Saturni, hora I;

Medicinam practicam, ad lectos aegrotantium, in Nosocomio St. Petri diebus singulis, hora XI.

HENDRIK DE HARTOG,

Lector in de Wiskunde, Zeevaart- en Sterrekunde, zal, in geval er geen beletselen plaats hebben, 's Dingsdags, Woensdags en Donderdags, des middags om *twaalf* ure, in het klein *Auditorium* van het *Athenaeum Illustre*, publieke Lessen, in het Nederduitsch, over deze Wetenschappen geven.

Digitized by Google

ACTA ET GESTA IN SENATU

PROFESSORUM ATHENAEI AMSTELAEDAMENSIS,

a die VIII *Febr.* MDCCCXXXVII *ad d.* VIII *Febr.* MDCCCXXXVIII.

Die XXI Junii MDCCCXXXVII, Praesidis munus a viro clarissimo C. A. DEN TEX ad virum clarissimum J. VAN HALL transiit.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNALES ATHENAEI

DAVENTRIENSIS.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOMINA PROFESSORUM CAET.

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI DOCUERUNT

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

J. DUYMAER VAN TWIST, Jur. Rom. et Hod. Doct.

JACOBUS VERBURG, Theol. Dr.

P. BOSSCHA, Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et J. U. Dr.

H. BEYERMAN, J. U. Doct.

P. O. C. VORSSELMAN DE HEER, Math. Mag. Phil. Nat. Dr.

PRAETER HOSCE.

J. ANRAAD, Anat. Chir. et Art. Obst. Lector.

et

G. FREDERIKS, ad docendas literas Germanicas et Anglicas constitutus.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM,

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENEO,

in annum MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII *proposita.*

JANUS DUYMAER VAN TWIST, *Jur. Rom. et Hodiern. Doct., Jur. Professor, h. t. Rector Magnificus*, Institutiones Iustinianeas explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris horâ IX. Historiam Juris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris horâ X. Pandectas docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris horâ XI. Juris civilis hodierni elementa exponet diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora XII. Encyclopaediam juris tradet diebus Lunae hora XII, et Mercurii hora X.

JACOBUS VERBURG, *Theol. Doctor, Literaturae Orient. Theologiae ac Doctrinae Moralis Professor*, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, horis postea indicandis, historiam religionis et ecclesiae Christianae enarrabit, duce MUNTINGRIO. Diebus horisque auditoribus commodis, Ethicen Christianam tractabit. Diebus Lunae et Jovis, ante meridiem, horâ X, exemplum praebebit interpretationis librorum N. F.

Diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora X, initia linguae Hebraeae tradet. Diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, de Antiquitate Hebraeâ lectiones habebit horâ XI. Porro provectioribus discipulis, ad penitiorem monumentorum Hebraeorum cognitionem aditum patefaciet, illustrandis varii styli speciminibus, die Mercurii et Veneris, horâ meridianâ. Praeterea diebus Martis et Veneris, horis commodis, Arabicas literas docebit.

PETRUS BOSSCHA, *Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. et J. U. Doct. Hist. Antiq. Eloq. et Ling. Graec. Professor, Historiam Veterem Universalem*, ad ductum Compendii sui tractabit, diebus Lunae hora meridiana, Martis decima, Mercurii et Veneris nona. Diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris, horâ XI *Antiquitates Romanas* explicabit. Diebus Lunae hora X, Martis horâ IX,

Digitized by Google

Veneris horâ meridianâ interpretabitur PLUTARCHI vitam DEMOSTHENIS et aliquot *carmina* THEOCRITI *selecta.* Diebus Lunae, Martis et Jovis hora IX, Veneris hora X alternatim exponet CICERONIS orationem pro ARCHIA POËTA, et VIRGILII Georgicorum Librum quartum. Cupientibus sibi tradi aut *Historiam Literariam*, aut *Praecepea Stili bene Latini et eloquentiae exterioris* lubens obtemperabit.

HUGO BEIJERMAN, *J. U. Doct. Literarum Belgicarum et Historiae patriae Professor*, diebus Lunae, Martis et Mercurii horâ XI Rhetoricam sive Elementa Eloquentiae ad ductum compendii, cui titulus *Nederlandsche Redekunst*, a V. Cl. LULOFS adumbrati, explicabit, additis belgice scribendi exercitationibus. Eloquentiae exterioris, uti vocatur, sive Pronuntiationis exercitia instituet horâ, postea cum auditoribus constituenda. Diebus Lunae, Martis et Mercurii horâ meridianâ poetarum nostratium loca quaedam selecta interpretabitur. Historiam patriae narrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis horâ post meridiem primâ.

PETRUS OTTO CONRADUS VORSSELMAN DE HEER, *Matheseos Mag.*, *Phil. Nat. Doctor*, *Math. Phys. et Phil. Theor. Professor*, Algebram docebit diebus Mercurii, Jovis et Veneris horâ X. Elementa Geometriae explicabit diebus Martis, Mercurii et Veneris, horâ matutinâ VIII. Physicam theoreticam atque experimentalem tradet diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, horâ post meridiem III. Astronomiae primas notitias exponet diebus Jovis et Veneris horâ XI. Logicam, praemissis disquisitionibus Anthropologicis, docebit die Mercurii horâ IX et Jovis horâ XII. Stereometriam et trigonometriam Sphaericam, ut et Mathesin sublimiorem tradet diebus et horis postea cum auditoribus constituendis. Idem, singulis hebdomadibus, disputandi exercitiis praeesse perget.

J. ANRAAD, *Lector Anatom. Chirurg. et Art. Obst.*, Lectiones suas obstetrit. habebit diebus Lunae et Veneris post meridiem ab horâ II.

JOHANNES PETRUS AREND, *Linguarum German. et Anglic. Lector* alio vocatus cum abierit, Magistratus brevi linguarum istarum studio prospicient.

Digitized by Google

SEMINARIUM THEOLOGICUM

CONFESSIONIS AUGUSTANAE,

AMSTELAEDAMENSE.

MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII.

L 1

Digitized by Google

Digitized by Google

SERIES LECTIONUM

IN SEMINARIO THEOLOGICO

AUGUSTANAE CONFESSIONIS AMSTELAEDAMENSI

in annum MDCCCXXXVII — MDCCCXXXVIII *proposita.*

JOANNES THEOPHILUS PLÜSCHKE, Prof. Ord.

Encyclopaediam Theologicam docebit.

Psalmos selectos explicabit; transiturus, absolutis illis, ad Euangelii Joannis interpretationem.

Theologiam dogmaticam tradet.

CHRISTIANUS HENRICUS EBERSBACH, Theol. Prof. Extraordin.

Ethicam Christianam docebit.

GEORGIUS FREDERICUS SARTORIUS, Theol. Prof. Extraordin.

Exegesin popularem docebit, interpretanda Historia Passionis Jesu Christi, secundum Euangelia Matthaei, Marci et Lucae.

Perget in docenda scientia Homiletica et Catechetica.

Exercitationibus oratoriis praeerit.

Liberorum doctrinae Christianae initiis erudiendorum exercitationem instituet.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google